
image
not
available







O.1.



Assistentiæ Galliæ Soc. Iesu ad usu Poenit. Gallorum.

DE VITA PATRIS PETRI COTONI E SOCIETATE IESV.

QVI DVOBVS FRANCORVM ET Nauarrorum Regibus HENRICO *&* LVDOVICO, *ad Conciones & Confeßiones adfuit, & constituendæ in Gallia Societati IESV plurimùm contulit:*

LIBRI TRES.

Autore PETRO ROVERIO, *eiusdem Societatis.*



LVGDVNI,

Apud MATTHÆVM LIBERAL Typographum.

M. DC. LX.

PROTESTATIO AVCTORIS.

Cvm Sanctiss. D. N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in S. Congregatione S. R. & Vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum qui sanctitate, seu Martyrij famâ celebres è vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarij; & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; bene tamen ea quæ cadunt super mores, & opinionem; cum protestatione in principio, quod iis nulla adsit auctoritas ab Eccles. Rom. sed fides tantùm sit penes Auctorem. Huic decreto, eiusque confirmationi & declarationi, obseruantiâ & reuerentiâ quâ par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea solent, quæ humanâ duntaxat auctoritate, non autem diuina Cathol. Rom. Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apost. nituntur.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS
Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi.

LAVRENTIVS GRANNON Prouincialis Societatis IESV in prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. Ludouico XIII. 14. Febr. 1611. & Ludouico XIV. regnante 23. Decemb. 1650. concessum, quo Typographis omnibus prohibetur ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant, permittit MATTHÆO LIBERAL Typographo Lugdunensi librum qui inscribitur *De Vita Patris Petri Cotoni*, ad decem proximos annos imprimere, ac diuendere possit. Datum Lugduni 30. Ianu. 1660.

LAVRENTIVS GRANNON.

INDEX

INDEX LIBRORVM & Capitum.

LIBER PRIMVS.


XV.

LIBER SECVNDVS.

XIII.

LIBER TERTIVS.

LIBER



REVERENDVS PATER PETRVS
COTONVS È SOCIETATE IESV
Vixit annos 63. obyt 19 Martij. 1626.

N. Auroux f.



LIBER PRIMVS DE VITA PATRIS PETRI COTONI è Societate IESV.

CAPVT PRIMVM.

ANNO CHRISTI à 1564. ad 1579. | ÆTATIS COTONI à 1. ad 16.

Ortus Cotoni, & prima studia ac mores adolescentiæ.

PATER Petrus Cotonus è Societate IESV, vir perquàm integræ religiosæque vitæ, lucem primum vidit die septimâ Martij anno sexagesimo quarto post millesimum & quingentesimum. Solum verò natale sortitus est Nerondam, quod oppidum est apud Segusianos Galliæ (Foresienses nunc vocant) Lugdunensium Prouinciales, quâ illis per Cemenorum montium extrema cum Aquitanicis est confinium. Guichardo enim Cotono Cheneuousij domino, erat Regio tunc nomine in eo oppido præfectura: ex cuius matrimonio cum Philiberta de Champrando Rodumnæ (vulgò Roanne) altero Segusianorum oppido nata, prodiere tum alij liberi, tum natiuitatis ordine secundus Petrus Cotonus. Erat sanè

Guichardus egregiè Catholicus, & Caluinianos tum maximè verbis & armis tumultuantes in Gallia ex animo auersabatur, liberosque suos ab eis alienissimos esse & cupiebat, & quantùm sermonibus rectáque institutione poterat, satagebat; calumnias tamen quæ Caluinianis ferè aut suspectis autoribus in Societatem nostram per illa ipsius primordia iactabantur, non satis caute ab auribus & fide sua amoliebatur. Atque vt non magis corpus quàm primos sensus & affectus animi à Parentibus ducunt liberi; ita Petrus Cotonus mitissimo puer ingenio, vt primum per ætatem potuit, paternas sententias, odiaque iusta æque ac iniusta est amplexatus: Itaque cum Rodumnæ Magistro cuidam primæ literaturæ qui occultum fouebat Caluinismum traditus fuisset in disciplinam, odoratus est statim puer Magistri arcanum vitium, quod & festiuis diebus, ludis & ambulationibus distineret discipulos quo tempore sacra in Ecclesiis peragebantur, & precari eos Gallicè non Latinè vellet. Nec distulit Patrem de periculo suo facere certiorem, qui non tantùm illum indè statim abduxit, sed autoritatem etiam interposuit suam vt oppido toto malus Magister pelleretur. Quæ res illi oppido saluti fuit, vt nulla posteà hæresis eo penetrarit. Datus dehinc Petro Magister alius quamuis certissimæ pietatis, non tamen perinde vt Pater optarat, magnæ sedulitatis. Quod cum eius animum haberet magnopere sollicitum, dispicere cœpit quodnam in Collegium dimittere filium posset, vt assiduo ac sedulo Magistrorum hoc vnum agentium subsidio promoueretur. Et occurrebat ei in proximo Turnonense aut Billomense, in quibus celebre iam tunc erat literarum ac Magistrorum nomen, sed nunquam imperare sibi potuit, vt nostrorum hominum, quorum curæ commissa

erant

erant illa Collegia, disciplinæ tunc sibi parùm probatæ tam carum pignus concrederet. Vertit proinde ad Parisiensem Academiam cogitationes suas; Petrumque annos natum vndecim & de se plurima præbentem specimina tùm virtutis & pietatis, ad quas illum mater integerrima piissímaque fœmina informabat, tùm ingenij ac memoriæ, quorum ope conciunculas pueriles iam tunc apud matrem reliquamque familiam audebat ex iis quas audierat moliri ac declamitare; Parisios ad Marchianum Collegium adduxit, priuatæque eum curæ cuiusdam Magistri Portæi subesse voluit. Is siue suo, siue parentis Cotoni ingenio seruiens, quanquam vir alibi neque malus neque minimè religiosus haberetur, tamen iniquitate temporum se abripi patiebatur, continuisque calumniis contra Societatem teneras alumni sui aures opplebat. Quæ institutio cum accederet ad conceptam iam olim ab eo ex verbis Parentis de Societate sententiam, incredibile est quantam eius animo abalienationem à nobis, rebusque nostris omnibus ingeneraret. Itaque non tantùm congressum sed & occursum omnem ac conspectum nostrorum hominum adeò defugiebat, vt quadam die dum præter limen Collegij nostri Parisiensis nescio quo ambularet, à comitibus Scholasticis intrò subire compulsus, vt primum nostrorum aliquos vidit, prohiberi non potuerit quin, & festinanter quasi pestilentem ab eis timeret auram alio se proriperet, & postero die ad eius pedes quem habebat conscientiæ arbitrum aduolutus, ingressum illum & conspectum nostrorum tanquàm noxam ægrè expiabilem confiteretur. Miretur ille solus alienæ vel ignorantiæ vel culpæ tantum in adolescentis innocentissimi animum permissum esse, qui Dei gratiæ diuitias non miratur. Deus enim non solum in errore in-

noxio, sed etiam interdum in incredulitate, vt ait Paulus, concludit omnia, vt omnium misereatur, mutetque impugnatorem in defensorē, & persecutorem in prædicatorem; ne cuiquam liceat vel laborem suum, vel parentum in iis quæ gratiæ sunt iactare institutionem; sed illud tantū Apostolicū Gratia Dei sum id quod sū. Sane Cotonus locupletissimam in hac animi sui mutatione Dei ergà se gratiam nec prædicare quandiu vixit, nec charitate atque officiis ergà Societatem vt poterat pensare cessauit. Cæterùm cùm illum Deus vellet esse suum, declarauit vsque ab hac adolescentia tenerrimus ille conscientiæ sensus, qui ipsam in se peccati vmbram tam impatienter toleraret: vt non immeritò Cotonus ipse recens Societatem ingressus inter cætera Dei beneficia quibus se obstrictum senserat ad perpetuum eius obsequium, hoc etiam connumerarit in iis literis quibus consilij sui causas vberrimè ac disertissimè Patri suo explicauit; Ita fere disserens. A prima, inquit, ætate ,,mea infinitæ Dei bonitati, cui æterna est in nos cha- ,,ritas, placitum fuit, vehementibus me aculeis amoris ,,timorisque sui excitare ac stimulare, quæ erant quasi ,,pignora quædam eorum quæ à grandiore ille postula- ,,ret. Deinceps verò non cessauit eundem in finem contra ,,omnia quæ mihi imminebant pericula in perpetuis ,,quasi excubiis ac vigiliis esse, actionésque meas omnes ,,amoris timorisque sui fræno ita coërcere vt maximus ,,mihi subiret peccati horror, prauorum consortiorum ,,odium, & rerum fluxarum fastidium. His ille verbis dum aliud agit animi sui per hæc adolescentiæ fluxa statum describit eiusmodi, qui & admirandus meritò & inuidendus, nec tamen iis qui hominis integritatem ac sinceritatem nouerunt fide parum dignus videri possit. Sanè qui eo quadriennio quo Marchianum Collegium

gium

gium Cotonus incoluit discipulum aliquandiu illum habuit Laurentius Bourceretus eius Collegij etiam hodie moderator, pietatem illius ac modestiam in ea adolescentia vehementer commendat ; Satisque constat eum iam tùm quod rari erat per ea tempora exempli non solum solemnibus anni omnibus, sed etiam mensium initiis ad Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ semper adiisse ; puritati autem animi ac corporis adeò studuisse, vt velut casta virguncula ad omnem liberiorem aliorum vocem honestissima verecundia ac pudore ita perfunderetur, vt cæterorum non amorem minus quàm venerationem eliceret. Quæ omnia eò videri poterant admirabiliora, quòd interno potius diuini spiritus magisterio, quàm hominum vel admonitione vel adhortatione prouenirent. Iam in politiori literatura cui ad annum vt dixi ætatis suæ decimumquintum incubuit, quantos ediderit progressus vel inde potest animaduerti quod cum ad easdem literas non nisi tempore breuissimo in Societate sit reuersus, tamen & in libris scriptis & in omni sermonum genere, egregiè semper ab eis paratus atque instructus apparuerit. Et verò impensam in se ab eo quem dixi institutore hac in eruditione operam tam grato memorique prosequebatur animo, vt & inter ipsos aulæ fauores, & deuexa iam ætate senex eum crebrò salutatum iret, & cum apud Ludouicum Regem esset in gratia nepoti eius Ecclesiasticum beneficium non tenue ab eo impetraret. Vbi verò iam satis his literis visus est institutus, qui priuatam eius curam gerebat Portæus, vt Philosophica iniret studia, ad Cardinalitium quod vocant Collegium illum traduxit. Ibi leuia quædam eius Scientiæ rudimenta per annum ætatis decimum sextum cum poneret morbo exceptus est adeò graui vt extrema timerentur.

tur. Sed ille in patrocinio cœlitum quod tota vita admodum ſolemne habuit; deuotiſſimam collocans fiduciam, Beatæ Genouefæ quam precibus ac votis placarat præſenti ope, mortis tunc periculo ſe exemptum in poſterum ſemper exiſtimauit, & quantum per occupationes licuit, ſacra myſteria ad eius ſepulchrum ſemel in hebdomada poſtquam Pariſios rediit, gratus celebrauit. Quod tamen tunc totam morbi labem abſque aëris natalis ſubſidio negarent Medici poſſe perſanari, domum eſt à Parente reuocatus, paucíſque menſibus priſtinis viribus reſtitutus.

CAPVT II.

ANNO CHRISTI 1580.& 1581. — ÆTATIS COTONI 17.& 18.

Studia à Cotono in Iuriſprudentia poſita.

SEptimum ac decimum ætatis annum mox initurus, qui incidebat in ſæculi Chriſtiani quod tunc agebatur octogeſimum, Biturigas in Iacobi Cujacij memorabilis Iuriſconſulti diſciplinam à Patre eſt iuſſus proficiſci. Vrgebat enim Filij ſtudia Pater vt maturius illum produceret in forum, emeritiſque de more forenſibus ſtipendiis Pariſienſi Curiæ Senatorem daret. Quam ille dignitatem Regum Matris Catharinæ Medicææ commendatione aut beneficio obtinere ſe filio poſſe non diffidebat, quòd plures iam annos illi fuiſſet à ſecretis commentariis, multaque atque honorifica negotia eius iuſſu & cauſa obiiſſet. Sed longè alia in cœlo capta fuerant de Cotono conſilia, quibus tùm maximè Pater nolens ſeruiebat, ac neſciens cum eum Biturigas mitteret. Vt enim eò peruenit Academiam nactus

nactus iuuenili intemperie plenam metuere cœpit impensè, ne in illorum incideret consortium, qui vel mentis corporisque puritatem quam dilexerat semper & enixè coluerat in periculum adducerent, vel antiquum morem suum confitendi crebrius ac communicandi in ludibrium verterent. Itaque dum attentius dispicit quorum se familiaritati consuetudinique permittat, diuino vt credere par est consilio destinatur ei adolescens & morum probitate non dispar, & nostræ Societatis magnopere studiosus. Is in intimam receptus necessitudinem cum omnia in Cotono admiraretur ac diligeret, tamen animi eius à nostris abalienationem nec probare nec ferre poterat patienter. Itaque statuit hunc eius animum omni arte oppugnare, vt in contrarium verteretur. Persuasit verò in primis vt Sacellum Sodalitij B. Virginis cui ipse adscriptus erat in Bituricensi nostro Collegio, solemni die vellet inuisere, idque non nobis sed Virginis honori concederet. Quod ille negare, pro sua in Virginem pietate non ausus, adiit sacellum, rediitque non multò nostris æquior quam ante. Sed haud diu postea assiduis adolescentis vocibus quà obiectas Societati calumnias claris argumentis depellentis, quà conscientiam eius intime conuenientis cur tam parum alienæ apud se existimationi parceret, cum nonnihil esset labefactatus, atque alia commodùm B. Virginis festiuitas incidisset, lubentior iam idem in sacellum reductus dum preces Deiparæ medullitùs allegat, tanta illic internæ pietatis suauitate est delibutus vt nostra omnia aliis oculis iam inciperet intueri: ratus apud homines Deo vt illi persuasum fuerat non satis gratos tam præsentis numinis experimenta vix capi posse, cuperetque sibi dari aliquem, cuius pro Societate autoritatem paternæ

ternæ ſuaſioni apud animum ſuum poſſet opponere. Quod vt ſenſit is quem dixi adoleſcens rem defert ad P.Petrum Velam Arelatenſem de Societate noſtra, qui per Quadrageſimam concionum ſuarum facibus ciuitatem & Academiam Bituricenſem ad honeſtatem & pietatem multùm approbante Cotono tum ſuccendebat; captaque ſubinde occaſione ſermonum Cotoni mirifice conciones illas commendantis ſpondet ſe amicitiæ cum concionatore conciliatorem illi fore ſi vellet, & volentẽ quàm maximè ad Velam adducit. Hic paucis aliquot verbis ad ineundam amicitiam commutatis cum de Societate mentio eſſet iniecta tam acute in omnes cogitationum Cotoni ſinus diſſerendo penetrauit Vela, tamque neruoſe ac copioſe ſcrupulorum eius leuitatem aut falſitatem aperuit, vt dubium illum reliquerit ſibíne prius qui Patri nimium credidiſſet, an iis qui Patri impoſuerant iraſceretur. Dies aliquot ab eo colloquio fluxerant cum Velæ exacta Quadrageſima alio fuit abeundum, quod vt vulgo compertum eſt ſtatuerunt Iuuenes aliquot Academici, atque inter eos Cotonus honorificè diſcedentem deducere. Nobilibus itaque equis ſublimes præſtò illi ad portam ciuitatis adfuere. Quos ille vt vidit orſus ab his Eſaiæ verbis, *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant*? tam multa de rerum terrenarum deſpicientia animorumque ad cœlos excitatione tam appoſite dixit, vt Cotono aculeũ infixerit, quem nulla poſteà dies excuteret. Egit apud Bituriges annos ætatis ſuæ duos, decimum ſeptimum & octauum, tanta ſtudij Iuris ſedulitate atque aſſiduitate vt ei apud quem diuerſabatur admirationi eſſet; ſed eius ſtudium pietatis etſi anteà magnum erat, ſacramentorum frequentiſſimo vſu inſertos ab adoleſcentia ſpiritus confouente; tamen poſteaquam cum

Vela eſt congreſſus, crebra enim non iam de præſenti tantum vt prius, ſed multò maximè de futuro vitæ ſtatu ſollicitudo inceſſit. Explicat ipſe eleganter in iis quas ſuprà dixi literis Patri ſuo æſtus animi ſui, his ferè verbis. Cùm in ſtudiis (inquit) quinque ſex, octo, atque interdum decem horas de die, noctiſque dimidium animū ſimul & corpus labore diſperdēs exegiſſē, ſubibat cogitatio exantlare me hæc omnia eo tantùm vt Iuriſperiti ac literati hominis famam apud centenos aliquot, aut ducentenos homines incertiſſimo euentu aucuparer, fiebatq; frequenter vt ad noctē mediam auribus, vndique religioſarum ædium ſonitu verberatis, ſic mecū ratiocinarer. En iſti de nocte non aliter quàm ego vigilant, ſed hoc inter nos diſtat, quod illi ad veram, immortalem, certam, ſalutarem; ego ad fucatam, temporariam, inconſtantem, ac multis pernicioſam famam contendam. Exacto verò inter iſta biennio, domum rurſus paterno imperio reuertit. Sperabat enim Pater maturum ſe illum forenſi tirocinio recepturum; ſed Cotonum etſi anno decimo nono ætas admouerat, tamen flos primæ adoleſcentiæ temperantia & corporis integritate protectus adeo non deſeruerat, vt puero quàm viro propior intuentibus appareret. Statuerat igitur Pater eum domi habere donec vultum ætas mutaret, niſi ſpe ductus Cotonus conceptos magiſque quotidie ac magis exardeſcentes excellentioris vitæ igniculos facilius ſe procul à ſuis conſeruaturum ac porro exſuſcitaturum luculentius, egiſſet partim per ſe, partim per amicos paternos, vt in Italiam, Taurinenſis Academiæ Iuris tunc diſciplina celebris frequentandæ cauſa, mitteretur. Quod vt impetrauit, Taurinumque venit, tam inſigne diuinæ erga ſe prouidentiæ ſpecimen eſt expertus, vt ab hoc tempore con-

ſuetudinem duxerit, quam donec vixit conſtantem tenuit, tum de peculiari Dei cura erga ſe ac ſua amantiſſimè confidendi, tum edita in ſe eius curæ exempla per omnia vitæ momenta exquiſite obſeruandi ac venerandi. Cùm enim ab algido Cemenorum montium aëre in Italicum repente tranſiſſet, non regionis tantùm ſitu, ſed etiam anni quæ tunc vigebat tempeſtate æſtuoſiſſimum, non facile videlicet tolerabat tenerrimi corporis Iuuenis æſtus ſibi inſolentes: Itaque perſuaſus à Gallo quopiam ſodali leuandæ moleſtiæ cauſa, frigidam fluminis appetit, pactus ante omnia tum vt velato honeſte corpore, tum vt ſemoto ab ſpectatoribus loco lauarent Ergo egreſſi in agros, notant ſibi procul ripam quæ cæteris occupatis deſerta erat ab omnibus, & eò videlicet contentis greſſibus feruntur, nec procul iam aberant ab ea; cum ecce tibi in æquabili planitie, nec viſi antea nec auditi exiſtunt ex aduerſo pulcherrimi pueri duo purpurati, qui manu & clamore vetarent ad ripam illam lauare. Retulit è veſtigio pedem Cotonus tanquam deprehenſus, & manu iniecta ſocium ſecum auertit. Ille reluctans, Te-ne (inquit) tantilli pueri terrent? Sciamus ſaltem cur nos prohibeant, ſimulque conuerſi ambo nullos iam pueros in plano campo conſpiciunt. Hic Cotonus negat ſe porro loturum, videri ſibi Deo non placere quod ſuſceperant; Socius etſi reduci ſe in vrbem patiebatur tamen interdicti illius cauſā magnopere cupiebat addiſcere; Itaque obuium ſenem ruſticum manu prehendens, doce nos (inquit) obſecro pater, quid rei ſit in illa fluminis ripa quam à lauantibus deſertam conſpicimus. Ille, nihil aliud eſt, inquit, niſi periculoſiſſimus gurges in quo memini videre me ab adoleſcentia multos flumine hauſtos, plures periclitatos, & hac maximè die temerarij duo

Iuuenes

Iuuenes aliorum exempla non veriti cum eò se proiecissent non emerserunt viui. Quæ cum audisset Cotonus, nec tunc, nec tota deinceps vita, cum hæc pluribus nostrorum & extraneorum referret; dubitauit quin pueri illi duo, Angeli fuerint custodes amborum. Hincque illi nata multisque deinceps ex causis adaucta pietas illa tenerrima erga custodem Angelum, qua sic afficiebatur, vt nec illum vnquam abire ab animi sui oculis pateretur; nec quidquam nisi illo plenissimæ venerationis fiducia consulto aggrederetur, nec finem vllum apud alios faceret, eius erga se beneficia commendandi.

CAPVT III.

ANNO CHRISTI 1582. & 83. — ÆTATIS COTONI 19. & 20.

Ingressus Cotoni in Societatem IESV.

HInc maiori in dies succensus rerum cœlestium flamma deligit sibi è Taurinensi Societatis Collegio virum prudentem ac Deo carum cui in præsentia conscientiæ arcana committeret. Suscipiendæ enim in posterum vitæ consilia, quod in magna pugnantium cogitationum diuersitate nihil dum sibi liquere censeret, tam citò aperire non fuit animus. Verùm ille quasi totum eius animum monente Deo didicisset, ab ipso primo congressu duo illi impensè commendauit, maturitatem consilij in suscipiendo vitæ Instituto, & cautionem sedulam in auscultandis Dei monitis internis, ne ea vel sine sensu vel sine effectu prætermitteret. Quibus præclarè vsus Cotonus, quà ieiunando quà orando obtinuit vt sine ambiguitate sentire videretur

nullam ſibi ſalutis viam à Deo aperiri niſi per rerum terreſtrium in Religioſo ſtatu abdicationem. Verum è tot Religioſis ordinibus cui ſe potiſſimum dederet cum non ſatis haberet conſtitutum mira ei ratione conſilium fuit expeditum. Cùm enim alias tam honorificè de aliis, tam modeſtè ac potius demiſsè de ſeipſo ſentire ſolitus ſemper fuerit, vt quot homines pietati ſincere deditos nouerat, tot ſibi diuinæ ergà ſe voluntatis interpretes nactus videretur; tum in iſta de vitæ genere deligendo conſultatione id feliciter in primis obſeruauit. Hieronymum enim Blondium Adoleſcentem Italum; quod egregiè pius illi viſus eſſet, frequenſque ad Sacramenta ventitaret, in familiaritatem aſciuerat, eique animi ſui æſtus plures aperuerat; Iſque aliquando reuerſus à Sacramentis Cotono aſſeuerauit ſibi ſatis compertum videri, diuinæ voluntatis eſſe vt ambo Societatis Iesv Inſtitutum ſuſciperent, ſe tamen ſi Cotonus recuſaret, id nunquam eſſe facturum. Permouit ea aſſeueratio Cotonum, reputantem tùm adoleſcentis pietatem, tum aſſeuerandi conſtantiam, tum temporis ſanctitatem, tum plurimas quas eatenus ſenſerat ad Societatem permotiones nulli hactenus abs ſe detectas. Ne quid tamen de ſe præcipitato ſtatueret, magnopere illum rogauit ne ſua conſilia ex alienis vellet eſſe ſuſpenſa, iret quò Deus vocabat, ſe ſibi non defuturum. Perſtabat ille tamen per dies multos Cotoni voluntatem diſquirere, cui tum viſum differre toto menſe reſponſum, dum diuinam de ſe voluntatem planiùs inueſtigaret. Sed exceſſit interim è vita Hieronymi Pater, ipſéque aſſiduis matris flagitationibus fractus in patriam ad componendam rem familiarem quaſi abiectis cogitationibus priſtinis abſceſſit. Noua hinc Cotono cura, ſubuerenti ne ſua forte

in capiendo consilio tarditate alienis consiliis perniciem attulisset, & alioqui nulla iam ei cogitatio de Religiosis Ordinibus, nisi cum ad Societatem IESV descenderat, sapiebat. Itaque conscientiæ suæ moderatorem adit, docet sibi iam pridem in animo esse, Religiosam vitam inire, Societatem mediocriter se optasse iam olim, nunc in nullius alterius cogitatione posse conquiescere. Ille ad hæc retulit, cùm primum in eius cognitionem venisset, arcano mentis contuitu cuius autorem nesciret, Societatis nostræ hominem in illo se vidisse, nec dubitare quin hoc eius consilium Deo cordi esset, daret tantum tempus aliquod firmando contra futuras difficultates cœlestibus cogitationibus animo, tum rem aggrederetur intrepidè. Fecit lætus quod erat monitus, atque vt sibi satis compertam visus est habere Dei voluntatem; ad Hieronymum suum aduolat, de pristina sponsione appellat, conditionem quã optarat repræsentat; nec ille abnuebat si mater sineret. Cotonus rem laboriosissimam, mulieris peruicaciam vincendam suscipit, tantâque suauitate sermonis & rationum sanctitate ac pondere causam egit, vt lacrymari quidem posset mulier, sed abeunti filio obsistere non posset. Hoc fuit Cotono earum artium rudimentũ, quibus tota deinceps vita plurimùm valuit in hominum animis Deo acquirendis. Præda igitur opimus Taurinum reuenit, & suis sociique rebus breui cum Præpositis Societatis confectis Aronam Insubrum oppidum tyrocinium Religiosæ vitæ positurus ad diem SS. Petri & Pauli destinatur. Quamquam ob æstiuos feruores ad diem S. Hieronymi tantum est eò admissus.

CAPVT

Capvt IV.

Anno Christi 1584. 85. — Ætatis Cotoni 21. 22.

Tyrocinium Cotoni in Societate eiusque puritas non vulgaris.

HAbuit illum biennio Aronã in Tyrocinio; quo tempore etsi nobis ambiguum non est quin plurima feruentissimæ virtutis prodiderit exempla, quod ex reliqua eius vita facile assequimur coniectura; tamen ea tantum nobis prodenda restant quæ vel ex literis ad suos scriptis quæ in manus nostras venere, vel ex ipsius aliud agentis narratione, vel ex iis qui à Patre ad eum in Italiam auertendi eius consilij causa missi sunt intelligi potuere. Quartò enim demum post initam Societatem mense, Patri plurimùm sollicito de silentio eius diuturno, literæ bene longæ sunt allatæ, quibus ille vitæ à se de nouo institutæ causas copiosissimè exponebat. Eas vt perlegit Pater, irasci videlicet atque immensùm excandescere quòd ex omnibus Religiosis Ordinibus eum maximè filius adamasset, quem ipse in primis odio suo dignum censuisset, nec desperare mitissimi Iuuenem ingenij paterna autoritate deduci ab instituto posse. Itaque literas rescribit initiò minarum & obiurgationum, sponsionumque simul ac blanditiarum plenissimas, quibus illi reditum in Galliam imperabat. Verum posteaquam perstare illum in consilio ex responsione ipsius accuratissima intellexit, ad Catharinam Medicæam Regum matrem, cui iam diu famulabatur, dolores suos detulit, literasque ab ea ad Serenissimum Sabaudiæ Ducem & Mediolanensem

Præfectum

Præfectum impetrauit, quibus rogarentur Guichardo Cotono filium repetenti autoritarem suam commodare. Enimverò commotam expectationem tum ex hoc virorum principum subsidio, tùm ex summissis è Gallia viris aliquot ad egregiè suadendum & natura & Parentis institutione factis, ita frustrata est Cotoni nostri constantia vt suis propemodùm suasoribus Religiosam vitam ipse persuaserit. Certè quod vnum tunc illis licebat eius spei propter quam venerant irritos, melioris vitæ spe plenissimos ad patrem remisit. Scripsit tunc ad eum literas, quarum caput vnum, quòd insigne puritatis sanctitatisque eius ad illam diem testimonium contineat prætermittere hoc loco non possum. Nam posteaquam prolixas patri ac matri gratias egit de præclara ac pia educatione sua ad id vsque tempus quo in Dei familiam fuerat adoptatus, sic orditur referre. Magna (inquit)mihi congenita fuit ab ætate tenerrima procliuitas ad Dei obsequium; nec mihi aliquando contigit vt quidpiam virtuti honestatique contrarium in me admitterem; cum rem esse existimarem pœna omni dignissimam brutis se mancipare flagitiis, à quibus ad hanc vsque diem magnopere abhorrui, confidoque fore vt æternum abhorream, ne vel immensæ Dei mei gratiæ, vel tuæ, mi pater, educationi sim aliquando ingratus. Scripserat non dissimilia primis quas post ingressum in Societatem dedit ad Patrem litteris, vt susceptæ vitæ causas exponeret. Agitabar, inquit, prætereà sexcentis tempestatibus, hinc Scyllæ, inde Charybdis, idest hinc malorum consortium, inde tartareæ libidinum flammæ, quæ rudem atque imperitam adolescentiam fere perdunt: vt plurimum mihi fuerit laborandum ne in alterutrum salutis gurgitem præceps deuoluerer. Quod tamen hactenus peculiari Optimi

Dei

Dei mei prouidentia ſemper euitaui. Sanè dum immenſam Dei gratiam, peculiarémque erga ſe in tutanda corporis puritate eius prouidentiam, prædicantem Cotonum legi, venit mihi in mentem ſuſpicari pertinere ad tempora iſta vel ſuperiora poſſe, inſigne in hoc genere Dei erga illum beneficiũ, cuius veſtigia in eius corpore multis ante mortem annis obſeruata, quando primùm fuerint impreſſa vt opinor nulli eſt compertum. Etenim cum aliquando in ſomnis contra immiſſa à Dæmone viſa impuritati affinia magno animi corporiſque conatu luctaretur, viſus eſt videre puriſſimos Spiritus duos, fugatis puritatis hoſtibus capitaliſſimis, femora ſibi fune bis circum ea conuoluto arctiſſimè compreſſiſſe. Cumque hæc omnia, dolorémque acerrimum quem tunc ſenſit, ſolis interni ſenſus imaginibus expreſſa fuiſſe euigilans autumaret, vera reperit iu corpore ſuo vulnera, rupta in ambitu cute, quam torti funis eminentes toruli preſſerant. Et coaluere breui vulnera, ſed cicatrix non tantùm in morte conſpicua fuit iis omnibus qui corpus eius de more lauarunt; verum etiam à pluribus viſa eſt in vita dum alicunde aduenienti pedes, Religioſo Societatis more, abluerentur. Quæ cauſa fuit vt & pluribus coactus fuerit dicere hæc ſibi veſtigia è quodam ſomnio relicta fuiſſe, & nonnullis remtotam vt dixi enarrarit. Cæterum quieuere poſt iſtas literas Guichardi parentis artes, nec iam ille de filio à Societate abducendo, ſed in Galliam tantu mad proximum Societatis domicilium aduocando ſollicitus eſſe inſtitit, quod tamen non ante quintum ab eius tyrocinioannum, vt dicemus, impetrauit. Cotonus interea noſter frequentibus S. Caroli Borromæi Aronam inuiſentis adhortationibus & exemplis præclarè vſus, velut ſi puſio, vt ipſe ſolebat dicere,

Gigantis

Gigantis veſtigiis ſua admetiretur, ita animum ſuum inſtituebat ad alienæ ſalutis ſitim, vt ſuas ipſius fauces exareſcere nunquam vellet. Ergo ne qua ſibi quandoque pernicioſa ariditas incideret, orationem ac meditationem rerum diuinarum, qui perpetui duo ſunt bonarum voluntatum fontes, adeo tunc in ſe excoluit, vt tota deinde vita facillimo illi ac feliciſſimo defluxu manarint. Nec ſegnius infeliciuſque ad pia & laborioſa opera ſeſe illum appuliſſe argumento fuit Lauretana peregrinatio, quam ex Societatis more tiro ſuſcepit: cùm enim & Italici aëris, & pedeſtris itineris inſolentia caput immodicè concalefeciſſet, tantam quotidiè ſanguinis copiam è naribus effundere, paucis à ſuſcepto itinere diebus, cœpit, vt & multum in præſens debilitaretur, & valetudini ſuæ in poſterum timere non parum poſſet. Verum pro ea qua erat erga B. Virginem pietate ac fiducia, diſſimulare laborem periculumq; ſuum maluit quàm vt eam tam ſacro in loco non ſalutaret. Nec defuit deuotæ voluntati pretium. Nam vt eo peruenit vnde Lauretana ædes conſpici poterat, aduolutuſque vt peregrini ſolent, in genua, preces Virgini concepit, exareſcente illico ſanguinis fluxione vegetus atq; alacer adoratum iit, liberque in totam vitam hoc incommodo Aronam reuertit, vnde non ante eſt digreſſus quàm Religioſis votis editis, annus ætatis eius viceſimus ſecundus ſeptimo plus menſe eſſet euolutus.

CAPVT V.

ANNO CHRISTI 1586.87.88.89.90. — ÆTATIS COTONI 23.24.25.26.27.

Mediolani Philosophiam discit, Vercellis politiores literas docet, Romæ Theologiæ orditur studia.

QVinquennium illi effluxit inter hæc tria, cuius temporis memoriam tenuibus ad nos deductam vestigiis breui cogimur exequi oratione. Illud verò se offert primum, non solum tenerrimæ sed etiã admodum ingeniosæ pietatis eius exemplum, quod haud diu post emissa vota, cũ audiendæ Philosophiæ Mediolani operã dare iussus esset officiiq; sui esse cẽseret Patri vota abs se emissa approbare, statumque suũ renunciare, rationem iniit & diuinæ laudis & paternæ vtilitatis plenissimam. Datis enim ad eum literis accuratis enixe suasit vt ad certam diem qua sibi ex Societatis more vota erant innouanda, placeret illi apud vnum è nostris quem à Rectore Lugdunensi per literas impetrarat, purgata rite conscientia cum coniuge & filio natu maiore, ad Eucharistiam accedere, coramque Deo ac sanctis mentibus cogitationem illam suscipere; satius-ne esset in statuendo de se qui filius eius esset diuinam an paternam voluntatem præualere. Et quoniam non dubitaret quin diuina apud eum voluntas multo pluris futura esset quam sua, hortabatur magnopere vt magni Abrahami exemplo vinceret animũ, Deoque in quoddam quasi holocaustum spiritale, offerret filium: Se enim eodem tempore Mediolani perinde ac si sub eius oculis positus esset, in eandem cum Patre sacrificandi sui voluntatem ita conspiraturum, vt tamen laudem

omnem

omnem ac meritum eius operis apud Deum, non suū sed Patris esse vellet. Fecit Pater vir optimus quod suaserat filius, literisq; postea ad illum scriptis significauit placere sibi penitus quod Deo; nec quidquam nunc magis esse in optatis quam vt suam ei voluntatem posset testificari præsenti. Solutus deinde ac liber hac cura Cotonus, cum ad Dei obsequiū, studiumque philosophicum, cui ex eius voluntate erat additus, cogitationes vertisset omnes, ea edidit argumenta tùm assiduitatis in laborando, tùm celeritatis ingenij, tùm perspicuitatis sagacitatisque iudicij; tùm felicitatis memoriæ quæ in eo ad extremos vsque annos miraculo omnibus fuit, vt in maxima humilitatis ac virtutis, egregiam simul eruditionis laudem ab omnibus referret. Itaque cum piorum colloquiorum vulgo amantissimus haberetur, iudicarunt nonnulli ex antiquioribus nostris Patribus qui Mediolani tunc degebant, idoneum illum comitem sibi esse posse dum ad Virginem Deo Sacratam pietatis fama tunc celebrem, quæ Sacramentis apud nos participabat; visendam irent. Quod cùm illi fuisset pergratum, semotus nonnihil à Patribus dissertationes pias eius Virginis modeste ac tacite inaudiebat. Sed illa verso ad eum aliquoties sermone, magnopere institit monere vt altissimæ purissimæque humilitati accuratam Iuuenis operam daret. Fore enim aliquando illud tempus cum à Rege potentissimo & amaretur plurimùm & suspiceretur: quo tempore nisi animum contemptu sui domitum & vera humilitate haberet subactum, sibi primum ac deinde Societati grauem esset perniciem allaturus. Pupugit ea oratio animum eius, & mirum quantum ad studium humilitatis succendit. Quanquam quid illa sibi vellent, quæ de Regis amore dicerentur non

ante intellexit quàm ab Henrico IV. est in Aulam accersitus, ipsoque experimento didicit quàm periculosè loco illo sine humilitate sisteretur. Neque verò ille sibi tum defuit siue in agendis Deo gratiis de tam maturis monitionibus quæ aliunde quàm à prouidentia eius singulari existere non poterant, siue in nouis quotidie humilitatis accessionibus ad priores adiungendis. Hinc verò à Mediolanensi commoratione, de qua diximus, duxisse illum consuetudinem quam tenuit in vita satis constanter, vt Fratrum Nostrorum qui literati non sunt, modo pietatis sensu excellerent, familiaritate delectaretur plurimum, addiscere possumus ex literis ab vno è nostris Patribus Huberto à Turre Leodiensi, inde à Limensi Collegio quod est in Occidentalibus Indiis ad eum post annos plusquàm triginta scriptis, quarum partem è Gallico hic exprimendam latinè censui. Quadam (inquit)die cum me inualetudo nonnulla lecto affixum haberet, Frater noster Augustinus Salombrinus qui Mediolani olim tui, mi Pater, in morbo curam habuit,nunc autem ægrorum quoque in hoc Limensi Collegio valetudini est præfectus, plurima mihi de Mediolanensibus tuis rebus dulcissimo animi sensu commemorans, impense rogauit vt ad te suo nomine ista scriberem. Constantem se ab illo tempore in tui amore fuisse, nec diem vllam abire passum esse quin diuinæ tibi gratiæ accessionem à Deo implorarit, ea admodum lætus memoria, quòd tibi ægrotanti aliquando præsto fuerit. Porrò deuotum se tibi ad mortem affirmat perseueraturum iuxtà initam inter vos olim Mediolani precum societatem; nec quidquam sibi accidere posse suauius, quàm si intelligat tantum apud te societatis initæ fidem valuisse quantam sibi conscius est apud

se fuisse. Enimverò satis explicari non potest quantum in hoc homine nactus sis, mi Pater, amicum apud Deum. Est enim vir plane sanctus vitæque laudatissimę iam inde ab annis quindecim quibus Limense Collegium incolit. Nec mihi aut aliis qui eum nouimus, est dubium quin virtute sit excellenti, diuinisque illustrationibus ac monitionibus egregiè foueatur. Adeò ille vitam ducit non tantum centum & quadraginta nostris, quot hic sumus, probatissimam, sed etiam multis ac variis noctu diuque laboribus exercitatissimam, ac suaui constantique charitate non solum ergà nostros, sed etiam ergà tricenos ferme Indos atque Æthiopas famulos plane conspicuā. Hæc eo consilio ex ipso autographo interpretatus sum paulò fusius, vt constaret quantę fuerit Cotonus inde ab hac iuuentute vel sapientię vel prędagitionis in spiritalibus amicitiis contrahendis. Cæterùm quod illi per hos ætatis annos vicesimum secundum, tertium, & quartum quos Philosophię fere impendit minus erat licitum in salutem hominum publicè incumbere ob Theologię imperitiam id ille priuato labore visus est voluisse compensare dum magnum literarum numerum, quem ferè vidimus in Galliam scriberet, nunc vt veteres condiscipulos ad despicientiam rerum fluxarum, nunc vt fratrem natu maiorem ad Dei amorem & obsequium vsumque Sacramentorum frequentem, nunc vt matrem ad Eucharisticam octauę cuiusque diei communicationem, nunc denique vt Patrem ad moderatè ferendam absentiam suam adhortaretur. Posthæc ætatis annum subiens vicesimum quintum, egregiè iam emensus Philosophię disciplinam Vercellas est destinatus, vt supremę quę illic erat literarum politiorum scholę doctor

doctor præesset. Quo in opere cum vnum versatus esset annum, prodentibus se iam tum naturę ac gratię opibus quibus eum Deus ad promouendam hominum salutem instruxerat, Romam à præsidibus, Theologici studij causa est euocatus, vbi vt opinor Nicolaus Bobadilla qui eo ipso anno extremus è decem primis Patribus nostris est mortuus, eum de Societatis more amplexatus; quasi vaticinans dixit: *Hic Gallus pluris erit quàm decem Hispani.* At enim Pater eius non tam ætate (quanquam erat iam senior) quam Filij absentis desiderio consenescens, in omnem illius recipiendi occasionem imminebat intentus; ideoque externis omnibus frustratus subsidiis ab ipsa quamuis sibi adhuc satis inuisa Societate morbo suo petere non refugit medicinam. Nam cum annis abhinc duobus didicisset Laurentium Magium à Præposito Generali Visitatorem in Gallias missum Rodumna iter habere, duos ad eum filios allegauit suos, multis precibus agens ne filij sibi aspectum ante mortem negare Societas vellet. Et recepit prolixe Magius daturum se operam cum primum Romam redux attigisset, vt Patris desiderio mature ac copiosè satisfieret. Suspensus ille posteà in omnem famam reuersionis Magij, vt primum è Gallia eum excessisse anno sæculi eius Christiani nonagesimo certior factus fuit, alterum è Filiis Romam mittit, qui promissi fidem exigeret; isque Fratri iam Roma profecto factus in itinere obuius, eum Lugdunum maximo in posterũ Gallię bono adduxit. Inde vnius diei itinere ad Patrem profectus reperit eum illo iam morbo decumbentem qui ipsum breui abstulit. Spatium tamen Cotono concessum à Deo quo Patri de suscepto vitę instituto & de Societatis integritate ac pietate tam copiosè satisfaceret

tisfaceret, vt non ſolum veterem illi omnem de ea opinionem ſtirpitus ab animo euelleret, ſed lætum etiam Filij conſilio, de Animę ſtatu ſeriò cogitare perſuaderet. Itaque optimè de ſalute æterna ſperantem decimo quinto quam aduenerat die extulit, atque epitaphiâ oratione ſimul & inſcriptione dilaudauit.

CAPVT VI.

ANNO CHRISTI 1591.92.93.94. ÆTATIS COTONI 28.29.30.31.

Lugduni inter ſtudia Theologica ſacris initiatus concionari aggreditur.

RESTITUTUS Lugdunenſi Collegio Cotonus quod ſupererat Theologici ſtudij triennium pertexuit inſigni laude in primis virtutis ac deinde etiam ingenij. Morum illi ac ſermonum mira erat ſuauitas ac moderatio, ſenſus de ſeipſo nullus, de cæteris egregius. Vigebat iam tum in eo mos ille quem inter Aulæ nequitias nunquam deſeruit, vt omnes ex ſe æſtimaret, malaque de aliis vulgata nunquam in animum demitteret. Moleſtus eſſe alicui, aut triſtem abs ſe quenquam dimittere non ſuſtinebat. Rerum alienarum minimè omnium curioſus, loquendique de illis parciſſimus, commodare autem quibus poterat facto & verbo prolixiſſimus. Hi fuere illius erga Socios per hæc initia mores, ex quibus erga Præſides qualis tum fuerit non eſt difficile æſtimare. Quilibet eorum nutus illi fuere pro imperiis, mentiſque ſuę receſſus omnes non illis minus quàm ſibi ſemper

eſſe

esse voluit apertos. Hinc extitit tam indiscreta præsidum omnium ergà illum charitas, quàm ipsius ergà omnes obseruantia. Cæterùm omnibus charus & suauis sibi vni hostis erat & durus: obseruatumque est tantùm illi vestium ac ciborum neglectum fuisse, vt cum à domesticis aliisque vt fit rogaretur, quid indueret in Italia, quid comederet, quid biberet? quasi qui Italiam nunquam vidisset, nec formas rerum nec nomina posset enunciare, cùm tamen spiritus pietatis quos illic hauserat nullis satis verbis commendaret. Iam ab hoc tempore vehementes illi erant cum lecto inimicitię, quas ad extrema vsque exercuit, pauculas in eo horas iacere poterat, & mediis crebrò noctibus, recepto vestitu in cathedram diuina meditaturus aut oraturus ad lucem se reiiciebat. Denique erga Deum & superos tenerrima iam tum pietate ferebatur, assiduus seipsum quasi coram Dei oculis introspicere; Christum in augustissimo Sacramento ita venerari, vt nullam diem abire pateretur, qua non eum statim ab hora quarta ante meridiem salutatum iret, qui mos ei tota ferè vita perpetuus fuit. Salutari verò sacrificio Missę bis quotidiè antequam Sacerdos esset interfuit, semel vt minister, atque iterum vt auditor. E cœlitibus custodē Angelum cùm primis venerabatur, quem à mentis suæ oculis abscedere nunquam patiebatur, nec vllos cum hominibus nisi eum respectans & quasi consulens sermones miscebat. Hi ferè mores in eo notati ab iis qui familiariter cum eo viuebant primo Lugdunensis illius studij anno, qui fuit ætatis eius vicesimus octauus, & sæculi tunc vertentis nonagesimus primus. Sed de ingenio eius his ad nos verbis perscripsit eius condiscipulorum vnus. Ingenio (inquit) erat

admodùm

admodum celeri ac perſpicaci, memoriáque ſingulari. Cùm enim ſtuderet Theologiæ, & alter profeſſorum nihil dictare ſtatuiſſet, attendebat diligenter iis, quæ tota hora dicebat præceptor, & vix paucula in curſu orationis notabat: mox autem vt ille finierat iuſſus ita reddebat vniuerſa, vt triduo illi prælectioni repetendę incubuiſſe videri poſſet. Hi mores, atque ingenium, ſed in primis concionandi proficiendique in publicum excellens facultas, quæ ſe prodebat quotidiè clarius, præſidibus Societatis ſuaſerunt vt Sacerdotio initiatum vellent, quo eius induſtria liberius vtiliuſque fundi poſſet. Id factum eſt exeunte Quadrageſima, atque illico dicturus ad populum è ſuperiore loco ad feſta Paſchalia cum apparuiſſet magna approbatione atque auiditate eſt auditus, adeoque illi gratia & fauor audientium ab ipſo initio aſpirauit, vt maximi concionatoris gloriam ac famam breui colligeret. Itaque inter ipſa ſtudia maximopere deſideratus ac poſtulatus per huius ipſius anni Aduentum quotidianas conciones ad Eccleſiam Sancti Pauli ſuſcipere Lugduni éſt coactus. Et erat ſanè in eo ſtudium multiplex, quod illum famæ redderet non inferiorem. Quærebat quæ diceret diligentiſſimè, inueniebat feliciter, diſponebat dilucide, ornabat floride, pronunciabat venuſtiſſimè, meminerat conſtantiſſimè. Sed dum dicenda quæreret, libabat ille quidem ex omni rerum ac cogitationum genere nonnulla; crebrius tamen in iis quę ad diuinum in hominibus amorem excitandum, peccatíque turpitudinem exaggerandam pertinebant, vel in reuincendis hæreticis habitabat. Poſtquam autem apud animum ſuum quid & quomodo diceret conſtituerat, aut perſcribebat omnia, verbatimque vt

ſcripſerat pro concione dicebat ; aut quod magis miſere, coram Socio quopiam priùs enunciabat , eiſdémque prope verbis ad populum pronunciata , demùm à concione ita planè vt dixerat perſcribebat. Hac ſedulitate primæ illi per Quadrageſimam conciones eadẽ in Eccleſia habitę anno ætatis viceſimo nono,qui fuit ſæculi nonageſimus ſecundus , nec vllus deinceps vitę annus, quam ad ſexaginta tres produxit, hoc illi vel labore vel merito vacuus fuit : tricies quippe ac quinquies Quadrageſimę conciones perorauit. Cæterùm inter hanc concionandi aſſiduitatem , & ſcholaſticarum difficultatum comprehenſionem atque enodationem , partitus operam , ita vtrique rei per fuit , vt anno conſequente, qui erat ætatis triceſimus, & Theologici ipſius ſtudij quartus, interrupto tantiſper concionum curſu ad docendam Philoſophiam ſe comparare à præſidibus iuberetur. Sed interceſſit autoritas Illuſtriſſimi Lugdunenſium Archiepiſcopi Petri D'Eſpinac, qui cum Eloquentię principatum tenere in Eccleſiaſticis Gallię pulpitis tunc exiſtimaretur; tamen naſcente Cotoni eloquentiâ ita tenebatur , plebiſque ſuę commoda adeò cum illa coniuncta cenſebat, vt vehementer efflagitaret ne tam laudabilis curſus concionum illis docendæ Philoſophiæ moris retardaretur , quod ad celebrandam concionibus Metropolitanam Lugdunenſium Eccleſiam Cotono ſibi opus eſſe aſſeueraret. Ita diſcuſſum ſemel docendę Philoſophię conſilium ; nunquam poſteà per eorum ad quos acceſſit audiendi conciones eius ſtudium reſtituere integrum fuit. Vix conciones Quadrageſimæ in Archiepiſcopi Eccleſia finierat , cùm omnia in ea vrbe tumultibus bellicis perſonuere , Cotonuſque à ſuis rogatus Seguſianis

Rodumnam

Rodumnam maternum oppidum conciones ſuas tranſtulit, in annum ſæculi ſuperioris nonageſimum quartum, qui erat illi ætatis triceſimus primus. Hîc mira fuere quæ ille à ſuis obtinuit, in moribus componendis, ſenſibuſque pietatis medullitus hauriendis. Matrem rogatu, immò prope coactu eius, totius vitæ noxas confeſſione diluentem audiit, duobuſque poſt annis cùm fato functa eſſet ſic ad Fratrem de illa ſcripſit: De Matre, inquit, ego nihil ambigo, vt pote vitæ illius teſtis auritus, in qua ſcio difficile peccatum mortale obſeruari potuiſſe. Fratri natu maiori vitam ex Chriſtiani piique hominis legibus eam perſuaſit quę paucorum ſit eiuſdem notę ac ſortis hominum. Fratrem natu minimum præcellenti ingenio adoleſcentem poſtquàm noſtris dederat inſtituendum in pietate, inteſtina deficientem tabe, cœlo egregiè comparatum tranſmiſit. Sorores duas ita excoluit, vt totam deinde vitam partim adeundis frequentiſſimè Sacramentis, partim oratione ac diuinarum rerum commentatione cæteris ſui ordinis mulieribus facilè præluxerint. Et erat vulgatus tum inter homines eius regionis ſermo, Deum videri ob merita pietatiſque excellentiam Cotono, totius in primis familiæ ſuæ ſalutem, deinde aliorum etiam complurium condonare.

CAPVT VII.

ANNO CHRISTI 1595. — ÆTATIS COTONI 32.

Auenione magna celebritate conciones, & Theologiæ moralis Scholas orditur.

EXcuntes de quo iam dixi anno Cotoni tricesimo primo, cum Societati nostræ suspecta omnia ac potius infesta esse inciperent in Regno Franciæ, Theologica nostrorum studia Lugduno Auenionem ditionis Pontificiæ ciuitatem à præsidibus nostris sunt translata, paucisque post mensibus eodem fuit è Segusianis Cotonus accersitus, vtrum concionibus suis, Societati ciuium gratiam conciliaret. Neque consilium frustratus est euentus. Nam vt eo peruenit Illustrissimi Cardinalis Taurusij voluntate, qui tunc ciuitati præerat Archiepiscopus, datus est primariæ cathedræ per eiusdem anni Aduentum concionator, tanta ciuium approbatione, vt annis tribus continentibus eodem ex loco illi fuerit concionandum. Sed intereà Parisiensi Senatusconsulto nostri Lugduno Collegiisque aliquot pulsi, Auenionem magno numero conuenere ad initia anni millesimi quingentesimi nonagesimi quinti, & visum est Societatis præsidibus, tum Archiepiscopi desiderio, incredibilique in fouendo exilio nostro charitati, tum nostrorum vtilitati tribuendum, vt Quæstionum Conscientiæ celebrior expositio ad Sacerdotes qui Confessiones in vrbe excipiebant, nostrosque, institueretur. Cuius rei cura cum esset Cotuno annum iam agenti secundum

dum à tricesimo, demandata, templum pro Schola ob Auditorum multitudinem esse illi oportuit, nec Sacerdotibus tantùm sed Iurisconsultis qui in Academia erant, Theologisque pluribus locum dari. Cæterum cum ad conciones prope annuas hoc illi oneris accessisset, cuius prætextu de tota ad eum ciuitate difficultates laboresque animorum deferebantur, non difficilis est coniecturæ quantum illi toto biennio quo est in hoc opere versatus fuerit desudandum. Sed erat ingenij tanta suauitate vt laborum eius sensus ad neminem perueniret. Equidem audire me memini Medicum tota regione eruditionis fama celeberrimum, cui Dionysio Christiano nomen fuit, cum diceret, centies se per id tempus capiendi de conscientia consilij causa adiisse ad Cotonum, nec raro multum subueritum ne parum opportune interuenisset: tamen hilari semper tranquilloque vultu ab eo exceptum, nec ante dimissum quam & quietem peperisset, & luculentas suo in animo virtutis flammas suscitasset. Neque verò priuatim tantùm sed & publicè constitit laboris eius pretium; siue quod à iustis dominis non leues pecuniæ summæ eius responsis, ac multo maximè adhortationibus efficacissimis redhibitæ; siue quod ab eo sacrarum Virginum monasteriis in veterem disciplinam interdum restituendis, interdum etiam nouis legibus Archiepiscopi assensu informandis posita vtilissime opera. Ac licet nonnullæ illi hanc ob rem contentiones cum iis fuerint suscipiendæ qui Virgines seuera contineri disciplina, partim ex immodica erga consanguineas indulgentia, partim aliis ex causis iniquo ferebant animo, nihil tamen fuit quod vis suauissima sermonum eius ac persuasionum non superarit. Nec

maior

maior illi cura fuit earum virginum quæ iam Deo sacræ essent quàm illarum quæ eò aspirarent. Quo in genere res illi tunc contigit diuinæ præsensionis plenissima. Nam cum Virgo quædam multis magnisque Dei instigationibus ad vitam Religiosam impelleretur, nec satis vocantem Deum sequi statueret, quærebat videlicet refractariola, virum quendam pietate insignem qui cupitati eius blanditus negaret ipsius vocationem satis certò proficisci à Deo. Sed cùm is ad quem illa rem suam primo detulerat sibi persuadere non posset tot tamque continuos animi motus quot illa se experiri fatebatur sine Deo esse, Cotonum sibi voluit adesse in dando Virgini consilio, qui cum illam audisset de arcanis animi sui permotionibus disserentem, respondit videri sibi eam ad Religiosæ vitę quietem amplectendam diuinitus incitari, magnopereque suasit vt vocanti Deo obsequeretur. Dehinc ea digressa, versus ad eum qui ad se illam adduxerat. Hæc quidem, inquit, ad castas Christi nuptias inuitatur, sed humanas præferet, cumque ciues illam complures ambierint, ignotus quispiam ac peregrinus abducet plurimis vita tota laboribus exercendam. Fecere dictis eius fidem nuptię cum viro extraneo octauo post mense conciliatæ, nec cessant ad hunc vsque diem labores eius, serui Dei vaticinium iis qui rem norunt egregie commendare. Transtulit aliquando etiam operam ad matrimoniorum pudicitiam tranquillitatemque procurandam; sed vt puellis in ætate nubili periclitantibus cautum esset omni solicitudine in primis inuigilauit. Cuius rei hoc ad nos exemplum peruenit. Puella tredecim circiter annorum, impudicę matris filia, vicinarum inuitatu cum aliquoties ad Cotonum confessionis causa venisset

ſet, admiſſa eſt poſt paulò eius iudicio ad Sacram Communionem. Id cùm ſenſiſſet mater quę eam proſtituere ſcelerata cogitabat, eaque cauſa noſtri templi acceſſu prohibuerat, crudeliter in eam verberibus deſæuiit. Non tamen deterrita eſt virgo quo minus ad conſuetum Sacramentorum pabulum hebdomadis ſingulis rediret; duoque illa in iſta animi ſui conflictatione non parum admirabilia eſt experta. Alterum vt quoties à matre cæderetur minus ipſa vapulando quam mater verberando vexari videretur. Alterum ex propria Cotoni diſciplina; vt quoties ad cœleſte conuiuium accederet, animum in ſe tam attente die tota colligeret vt nihil eorum quæ circà impudicam matrem gerebantur aduerteret. Venit tandem dies quo mater, integritatis filię nefaria nundinatrix flagitioſo viro ad eius ſtuprum condixerat: quod puella cum præſenſiſſet, domo effugit, Cotonuſque monitus ad grauem primùm matronam, deinde ad tutum Virginum piarum contubernium traduci eam curauit, & mater flagitij comperta à Iudicibus ne filiam repeteret coërcita fuit. Hinc verò ab hoc anno plurimum etiam eſſe Cotono negotij cœpit cum Hæreticis, quorum plenæ tunc fuere circum Auenionem ciuitates. Quam ad rem nouus ei labor incubuit, vt omnes eorum fraudes ac tergiuerſationes perſpectas haberet, tamque copioſam ſibi ex antiquis Eccleſiæ doctoribus armaturam pararet, vt & libris ſcribendis, & concertationibus cum eis ſuſcipiendis admodum abunde tota illi vita ſuppeteret. Nec ſanè laboris fructus tarde illi atque intempeſtiuè prouenere. Nam hoc ipſo anno præter denos aliquot alios, Rebulum quoque magni animi atque ingenij iuuenem qui Hæretico-

rum causæ plurimùm scriptis posteà libris incommodauit,ad Ecclesiam ab hæresi traduxit.

CAPVT VIII.

ANNO CHRISTI 1596. — ÆTATIS COTONI 33.

Cotoni fama latius se fundens multis saluti fuit circa Auenionem.

PErgebat anno ætatis suæ tricesimo tertio Auenionenses concionibus suis excolere,omniqueex parte in melius commutare,cum fama eius mœnibus se iam non continens plures vndique ad eum acciuit, salutari verborum medicamento variis ægritudinibus eripiendos. Fuit in his & moribus & sanitas vnius cum primis obseruatu digna. Degebat is vltrà Rodani pontem Villanouæ, aut Italus aut quòd in Italia diu vixisset pro Italo habitus , sed fide ac moribus longe ab iis quibuscum versatus erat alienissimus. Etenim cum prope puer esset educatus in familia Cardinalis Castillionæi, qui fide ac purpura abdicata in Anglia posteà lamentabili fato est defunctus , audierat cum hero adhuc iuuene , in Italia peruersum quendam , ac perfidum Iuris Canonici interpretem, cui illud vnum erat institutum vt doceret Iuris Canonici nullum esse scopum , nisi vt pecuniis hominum tenderentur insidiæ. Itaque vt quemque Canonem vel Titulum exposuerat , sermonem fere claudebat hoc epiphonemate, En inquiebat harpagonem corradendæ pecuniæ! Et hæserat vox improba atque insana , tam tenaciter in eius quem dixi hominis animo , vt quæcumque in

Ecclesia

Ecclesia Catholica fieri dici-ve animaduerteret, quærendæ pecuniæ artes esse arbitraretur. Itaque vt ad Caluinianos non transierat, ita fidem ac reuerentiam ergà Ecclesiam non retinebat; sed velut lucifuga quædam noctua domi conclusus Sacrorum ac prope etiam hominum omnium consortio abstinebat. Ea res cùm nonnullis eius affinibus maximo iam pridem doleret opere, ad Cotonum secunda tum maximè famæ aura vtentem, ab eis est delata. Is veritus ne si ad Timonis illius ædes accederet non admitteretur, affinibus autor fuit vt hominem visendi cuiusdam agri prætextu domo elicerent. Quod cum illi esset ægrè persuasum, Cotonus qui haud procul in insidiis latuerat, simulata inambulandi voluntate sensim ad eos accessit, comiterque salutatis sese immiscuit, ac verbis aliquot vrbanissimis, vt erat eius rei artifex peritissimus, tetricam hominis frontem nonnihil laxauit. Tum sine sensu subiens in sensus ipsius intimos, quos ab affinibus didicerat, errores eius omnes traducere ac reuincere laborabat; sed vna erat ad omnia responsio hominis stuporis plenissima. En harpagonem corradendæ pecuniæ. Quæ verba cum diutissime sola obtrusisset, sensit Cotonus inutilem esse lenitatem suam mutatoque dicendi genere cum stuporem verbis coarguit asperrimis, æternique supplicij, nisi respiceret seipsum, minis terroribusque illi omnibus intentatis, derepente auersus abscessit. Statuebat enim non posse tam brutam peruicaciam absque insolita diuinæ clementiæ imploratione, crebroque conflictu emolliri. Itaque vt domum attigit, hominis salute inter preces Deo enixe commendata animum ad nouam pertinaciæ illius oppugnationem comparabat. Sed nihil ea opus fuit. Nam ille quietis omnis à Cotoni colloquio ex-

ſors, profeſſuſque apud ſuos mentem ſibi illius verbis quaſi acutis quibuſdam clauis conuulneratam; Auenionem haud diu poſt iſta traiecit, Cotonoque ad pedes accidens, & in eius ſe poteſtate fore pollicitus, errores omnes ſigillatim dedoctus eſt, purgataque diligentiſſimè per ſacramentum conſcientia, ac cœleſtis cibi particeps factus, vitam deinde ad Chriſtianas leges compoſuit. Alterum quempiam inter Hæreticos fortunis iuxta ac pertinacitate primarium priuata quædam negotia ſua adduxerant in vrbem, quam vt Cotoni commendatione vndique reſonantem eſt nactus, experiri ante diſceſſum conſtituit num famam æquarent facta. Ingreſſus igitur quadam die, mediam Auditorum eius concionem Deo prouidente in eam diſputationem incidit qua Cotonus piiſſime vt ſolebat ac vehementiſſime corpoream Chriſti in Euchariſtia præſentiam aſtruebat, adeoque illius oratione eſt permotus, vt aliquandiu à concione hæreret in Eccleſia cogitabundus; ac dum caſu oculos in Euchariſtiam, quæ forte tunc adoranda proſtabat conuertiſſet, pulcherrimum ſuprà illam puellum non ſemel, ſed quoties eodem intenderat, ſibi viſus ſit conſpexiſſe. Quo ſpectaculo magis perculſus ac magis delectari iam cœpit Eccleſiarum conſpectu, poſteroque die dum Metropoliticam inuiſit, gratiſſima luce refulgentem aram, puellumque abs ſe pridie conſpectum è loco vbi aſſeruatur Euchariſtia prodeuntem atque aræ inambulantem vidit. Itaque animo iam Catholicam doctrinam de Euchariſtia plane complexus Cotonum adit, reque illi à capite expoſita reliquos de Religione, ſcrupulos non difficili negotio ſibi paſſus eximi, hæreſi funditus renunciauit. Non pauciores duodenis Cotoni nomine pellecti venere eadem ex cauſa eodem-

quæ euentu ad eum hoc anno Auenionem; Sed vnius tantùm historiam ad eas quas scripsi adijcere suadet tum suscepti operis breuitas, tum ratio ipsius singularis. Adolescens duodeviginti annorum Geneuæ ortus & educatus, quàm impura in disciplina nihil attinet dicere; cum in patriis ritibus non satis animo acquiesceret, & quasi per vmbram inaudiret aliam esse vicinarum fere gentium doctrinam ac religionem; experiri constituit an apud illas reperire posset, quo animo suo satisfaceret, quietemque compararet; Sic ergo egressus de patria tanquam Abraham de Vr Chaldæorum, bono sine dubio Angelo ductore, vni cuipiam homini occurrit, qui sciscitanti vbinam doctorem egregium veræ Religionis offenderet, respondit nominatissimum esse Auenione Cotonum, quo ni falleretur valde bono magistro vti posset ad ea quæ vellet cognoscenda, simulque lenitatem eius; atque in disceptando moderationē & eruditionem mirifice commendauit. Lætus euentu Adolescens, pallium millibus centum fere & quinquaginta festinato alacriterque confectis Auenionem venit, rogatusque vt fit ad portam vnde & cur veniret? Geneua dixit se digressum Cotoni eò pertractum fama, vt fidem Catholicam ab eo doceretur. Admissus in vrbem ad Collegium Societatis tendit, sed euntem ignotus quispiam seu dæmon seu homo importuna mali Dæmonis instigatione stimulatus pone assectatur, cumque iam intra Collegij septa pedem poneret: Quo tu inquit miser? quid istum quæris à quo tibi certa pernicies parata? qui cum primum quis sis audierit, te ad magistratum delata in æternum te carcerem compingi curabit. Hac voce territus adolescens pedem retulit, votaque frustrata ingemiscens maximis animi æstibus inter reditus

aut moræ cogitationes iactandum se præbuit aliquandiu; sed Deo tandem vincente, reputare cœpit fieri non posse vt de cuius lenitate ac comitate tam multa in audiisset ab eo tam aspere ac crudeliter exciperetur. Cotonum ergo fidenter adiit, ac veritatis magna animi sui voluptate breui compos, hæresi solemniter renunciauit, vitamque postea instituit moderationis ac pietatis plenam.

CAPVT IX.

ANNO CHRISTI 1597. ÆTATIS COTONI 34.

Celebre sanctitatis ac pietatis nomen vestigiaque earum non leuiter impressa Auenione relinquit.

TRiennio continuatas Auenione conciones clausit ad annum ætatis suæ tricesimum quartum, sæculique vertentis nonagesimum septimum. Quo tempore vna fuit domi forisque vox omnium. Donum illi famæ à Deo impartitum. Non enim facilè credebatur tantum prædicandi commendandique eius nominis studium, tamque suauem in ore omnium eius commemorationem, vt tunc sentiebatur sine singulari diuini numinis, aut aliorum animos ei conciliantis aut operibus eius splendorem addentis, fauore existere potuisse. Sanè inter plurima, quæ ad inserendam hominum animis sanctitatis eius opinionem, tunc contigere stria mihi posteritatis memoria visa sunt non indigna. Hoc primum, Mater familias quædam loco non humili, sed pietate erga Deum ac solicitudi-

ne erga suos insignis, filiam in matrimonio sibi probatissimo ac gratissimo collocare cogitans, cum omnia iam haberet eam ad rem comparata, non existimauit sibi perficiendam nisi Cotoni precibus vt feliciter cederet imploratis. Nec ille operam recusauit; sed cum breuem ad Deum precationem regressus in cubiculum ea causa effudisset, reuertit illicò in Ecclesiam, vbi hærere adhuc matrem familias suspicabatur, rogauitque sollicito, quænam dies ineundo matrimonio condicta esset; cumque illa respondisset conuocatos affines, ámicos, atque ipsum etiam Parochum in diem posteram. Ingemiscens Cotonus, quam vellem, inquit, vt in octauam diem! sed tu cauebis omnino, si filiæ tuæ consultum cupis, ne crastina die res transigatur. Obstupuit mulier ad tàm præcisam vocem, nihil tamen de Cotoni fide addubitans, orauit denuò vt precibus apud Deum ageret, quo absque vllius hominis offensione res in alium diem differri posset. Vix domum reuersa attigit, cum ex affinibus præcipui quidam misere qui se in crastinum excusari ob suborta negotia postularent. Et illa occasionem non inuita arripiens, nunciis ad alios dimissis vt horum gratia negotium in aliam diem differretur facilè ab omnibus impetrauit. Postera die ad condictam antea coniugio horam qui maritus sperabatur Iuuenis, cum semper modestus ac tranquillus visus esset, mente de statu emota repentinam incurrit insaniam, nec vlla potuit in posterum, vel medicorum opera, vel temporis longinquitate restitui sanitati. Memini Cotono ex hac re, quæ statim fuit euulgata, maximam omninò apud genus omne hominum in ea ciuitate fidem atque autoritatem extitisse. Sed quod nunc dicam alterum, id, etsi non adeò vulgatum fuit cum est per-

actum

actum, tamen & fructu potius & fide est non infe-rius. Nam cùm per festiuitatem assumptæ in cœlos Virginis vir nobilis Dominus du Buisson suasu coniugis suæ, fœminæ grauissimæ, quam Cotonus paulò ante hæc tempora instituerat ad pietatem, ipsum Auenione in ditionis suæ castrum euocasset, vt subditorum, atque in primis familiæ saluti prospiceret: Egit ille quidem cum cæteris felicissimè ac facillimè quod habebat propositi; sed cum ad Iuuenem quendam Heri negotiis præfectum solutioris vitæ hominem opera esset deriuata, nimirum nec ipsi nec vlli facilè fuit obtinere vt saluti suæ consuleret, modumque poneret cupiditatibus. Verùm post plurimas non solum Cotoni, sed piissimæ etiam cumprimis Heræ adhortationes animum tandem induxit, vt temporis quidpiam sumeret ad repetendas mente totius vitæ noxas, certaque die per confessionem abolendas. Fecerit ille an finxerit se facere quod receperat, est incertũ; sed qua die instituenda erat confessio, summo mane equum ex herili stabulo optimum, atque ante eam diem mansuetissimum ascendit, simulatoque negotio nescio quo, procul à Cotono castroque auolat. Hora adfuit confessionis faciendæ, & optima Hera de serui salute sollicita, misit qui ad Cotonum hominem adducerent, compertoque quod contigerat flens ac prope eiulans ad Cotonum venit. Sed ille quasi omnium iam conscius, occurrit, ei subridens, lacrymásque cohibere iussæ dixit. Calcitrat hic iuuenis contra stimulum, sed aliquando fodicabitur, redibit ad te hodie egregie castigatus, atque vt spero alius quàm discessit. Simul rogauit vt sibi discedendi facultas esset, quando nihil se amplius eo loco moraretur. Discessit verò vt petierat, & post horas aliquot reuersus est

Iuuenis

Iuuenis toto corpore mirum in modum fracto ac fatigato, vestibusque misere cœno oblitis lutoque fluentibus. Heram vt aduenit trepidus adiit, precatusque dedisse veniam, narrare aggressus est, sibi dum in agris exultaret quod Cotono atque Heræ præclarè illusisset, equum repente nulla manifesta causa ita efferatum vt fræno, virga, omnibusque retinaculis contemptis per inuia seipsum sessoremque suum incredibili impetu in palustria loca præcipitarit, vbi dum luctatur cum solo vestigia hauriente, sua equitem ruina inuolutum affixerit luto, totiusque prope corporis pondere oppresserit. Quo in periculo dum ad suam miser conscientiam respiceret, aiebat visum sibi audire vocem (animo tantum an etiam auribus non satis poterat constituere) quæ iuberet, vt ad Cotonum festinus reuerteretur, nisi malè perire vellet; cumque id se facturum recepisset; leuissimo conatu, equi ruinæ corpus subduxisse, nec aliud iam se optare vberrimè lacrymans testabatur, nisi vt ad Cotoni pedes accideret. Verùm vt abiisse illum didicit, non difficile ab hera impetrauit, eodem in equo iam velut olim mansuetissimo ad Cotonum illicò aduolaret. Exceptus est ab eo rei totius vt Iuuenis sensit iam conscio, perhumaniter, cúmque onus conscientiæ, comparato ad id per dies aliquot animo, deposuisset, diffisus immensum viribus suis si ad consueta loca rediret, remisso ad Heram equo, Cotoni lateri hæsit assiduus, omnibusque breui negotiis abdicatis Deo se in Religioso Ordine, in quo pie vixit & mortuus est, consecrauit. Extremum huc apponum primariæ virginis casum qui tota ciuitate Auenionensi vulgatissimus fuit. Legerat illa Cotonum conscientiæ arbitrum, non vt eius staret consiliis, sed vt autori-

tatem

tatem leuiſſimis ſuis, quod poſteà conſtitit, voluntatibus prætexeret. Ergo nulla conſulendæ voluntatis diuinæ ſollicitudine aut diligentia, nullis aut parum certis diuini ſpiritus inſtigationibus Cotonum vrgebat aſſiduè, vt ſibi autor eſſet vitæ in religioſo Ordine tranſigendæ. Quod cum ipſe recuſaret magnopere, negans ſibi idonea apparere eius rei ſuadendæ argumenta; Illa muliebri vel leuitate vel peruicacia apud quendam Ordinem perfecit vt admitteretur, & quaſi de Cotono triumphans, ſcripſit ad eum, Intellecturos homines ex ea quam tunc ageret vita, non ſemper diuina plurimùm ſapere qui maximè videantur. Reſpondit Cotonus magnopere ſe vitæ eius gratulaturum, ſi perficeret vt Deo & hominibus humilitate placeret; ſed nunquam ſibi in mentem veniſſe vt dubitaret an ipſa poſſet in Religione aliquandiu agere, vnum illud ſibi hactenus dubium eſſe, an poſſet in ea vitam tranſigere. Riſit literas eius ac publicauit audacula; ſed ipſa eis haud multo poſt fidem aſtruxit non tantum abdicata religioſa vita, ſed ſtudiis etiam ad muliebres delicias impendio conuerſis. Mitto huius generis plurima, quæ in Auenionenſium ſermone atque admiratione tum fuere; illudque tantum aſſeuerare poſſum, tam multa eum pietatis charitatiſque argumenta præbuiſſe ſiue in ſedandis ciuium interſe diſcordiis, ſiue in collocanda in tuto matronarum puellarumque pudicitia, ſiue in excitando in omnibus ſalutis ſtudio, vt ſanctiſſima ſit ad hanc vſque diem illius in ea ciuitate memoria, & quos retinent pietatis ſenſus qui eius vixere temporibus, eius ſe magiſterio debere fateantur. Quamobrem cum multis poſt annis famoſus Anti-cotoni libellus prodiiſſet, illuſtriſſimè teſtimonia edidere Epiſcopi

ac

ac Clerici regionis illius, quibus & calumniarum tenebræ planè dispellerentur, & omnium hominum de eius virtute sensus egregiè aperiretur. Ioannes de Tullia Arausicanus Episcopus vir grauissimus atque eruditissimus hæc tunc pro testimonio scripsit. Quamuis inquit eximius qui ex honorificentissimis illius muniis atque exercitationibus fructus extitit, altissimas in omnium memoria radices egerit; Ego tamen vt meo etiam calculo veritas roboretur, testor me cum quo tempore Auenioni fuit, Aduentu & Quadragesima præclare concionantem audiisse, cum succisas concionibus horas ad docendam Theologiam, audiendas confessiones, aliaque opera pia fructuosissimè conferret; vt eum vniuersi ob vtilitatem odoremque pietatis quia ex illius afflabatur actionibus singulari amore ac veneratione prosequeremur. Ludouicus Bellus duorum Archiepiscoporum Taurusij & Bordini qui tunc Auenioni præfuere, Vicarius Generalis sic iuratus testatur. Tota inquit Auenio, eiusque vicinia tantum ex P. Cotoni concionibus religiosæque vitæ exemplis fructum collegit, vt mirabiles mutationes tum hæreticorum in orthodoxam fidem, tum Catholicorum in meliorem frugem ex eis fuerint consecutæ.

CAPVT X.

ANNO CHRISTI 1598. | ÆTATIS COTONI 35.

Institutas Aquis-Sextiis conciones dimittere coactus in exilem pagum alacer transit.

FLuxerant hactenus Cotono satis placide suscepta negotia. Sed ad annum ætatis tricesimum quintum cum in maiorem exercendus esset palæstram, nonnullis subinde difficultatibus diuinæ consilio prouidentiæ fuit permissus. Impulerat enim Auenionensium eius laborum fama Paulum Huraltum qui tunc Aquis-Sextiis Archiepiscopus erat, vt maximo ciuitatis suæ templo concionatorem illum volentibus Societatis præsidibus adoptaret. Quo cum aduenisset Cotonus, suarumque concionum cursum valde iam secundum teneret; is qui tunc Aquensi Senatui princeps præsidebat, siue quod Archiepiscopo, cum quo illi intercedebant inimicitiæ, ægre factum vellet, siue quòd erga Societatem animo esset parum æquo, literas ex Regis Curia impetrat, quibus Societati quandiu Parisiis exularet, concionibus in Narbonensi etiam illa prouincia interdicebatur. Earum literarum autoritate Cotonus in eo quem dixi concionum cursu suggesto iussus est cedere, eiusque in locum suffectus alius dicendi laude non maximus. Vt illam siue iniuriam siue operæ suæ despicientiam tulerit duæ res posteà docuerunt. Nam cùm in aula esset, eum qui rem totam erat machinatus quòd alioqui in iudiciis integer haberetur, laude commendatione sua iuuit cum

in

in ampliorem dignitatis gradum promoueretur; Et hoc tempore stationem sibi iniussu præsidum ratus non deserendam, confessiones quibus non erat prohibitus, totos dies audiebat dùm aliò vocaretur; cúmque concionis tempus aduenerat humili in sede successorem illum suum concionantem auscultabat modestissimè; & quantùm patiebatur veritas non frigide neque parce cõmendabat. Literis deinde suorum præsidum acceptis vbi comperit angustissimum sibi oppidulum Auisanum, cuius Ecclesia in Auenionensis Collegij est potestate in Quadragesimam destinatum; aduolauit scilicet curriculò, lætus prouinciam sibi obuenisse tanto vtiliorem quantò ad speciem minus illustrem. Ergo pro vnica Aquensi binas in die ad Auisanos rusticos conciones; vnam ante ortum, alteram post occasum Solis habere instituit; ac ne viris nobilibus in confinio sitis nihil conferret opis, tertiam quotidie ad meridiem nunc vnius, nunc alterius oppido tribuit, magna semper nobilium multitudine eum, quocumque condictus esset concioni locus prosequente. Nunquam illi antea vel sensus de se abiectior, vel cœlestis fauor vberior quàm inter hos labores prope rusticanos. Quasi enim aut nulla fuisset aut minima prudentia si quas ad alicuius autoritatis homines literas scriberet; non prius dabat perferendas quàm à proximi Collegij Rectore recognoscerentur. Vltimum quemlibet è plebe æquè ac primum accurabat, fortunatissimo sæpe euentu. Monitus enim aliquando in vili gurgustio fabri lignarij coniugem graui teneri ægritudine; cùm cibo iam apposito ad viri nobilis mensam discubiturus esset, rogauit illum demississime ne iurbanè factum interpretaretur si ad illius mulieris audiendam confes-

 sionem

ſionem ante cibum accurreret; impetrauit, accurrit, audiit confitentem, & momento mortuam vidit. Vt ſatis appareret vel mortis illius præſagitionem, vel mulieris ſalutem tam prompto demiſſoque animo diuinitus conceſſam. Alterum huic haud diſſimile diuini fauoris exemplum eodem tempore eſt expertus. Vir enim quidam ea in regione notiſſimus ſacerdotio atque olim etiam religioſo voto Deo aſtrictus, perfractis omnibus religionis ac pudoris repagulis mulierculæ improbiſſimæ ita ſe manciparat vt & ad ſacrilegum cum illa matrimonium, & ad hæreticorum caſtra pertraheretur. Quæ res Cotono diuinitus eſt ſignificata eo ipſo tempore quo procul admodum ab ipſo peragebatur. Nam inter colloquium cum viris aliquot nobilibus apud quos ſacrilegus ille magna olim pietatis opinione fuerat, repentinas vbereſque in lacrymas aliquando erupit, attonitiſque mœſtitia omnibus, vt ſe paulo poſt recepit, veniam ſubiti motus modeſtiſſime poſtulauit. Percontantibus verò lacrymarum cauſam, reſpondit veniſſe tunc ſibi in mentem miſerabilem illius viri caſum, eamque rem imprudenti lacrymas excuſſiſſe, ſimul eorum animos de humana imbecillitate commonitos contra pernicioſi exempli periculum diſertiſſima oratione communiuit. Sed illi qui Cotoni moderationem omnibus in rebus perſpectam haberent, repentinum hunc eius motum non deſtitere animo reuoluere, donec miſeri hominis caſu magis euulgato, magnopere ſunt admirati eodem tempore Cotono lacrymas ex oculis erupiſſe, quo ſceleſto illi verba ex ore vomebãtur, quibus Catholicæ fidei nuncium remittebat. Contigit hoc ipſo tempore quod grauiſſima fœmina Domina du Buiſſon ſanctè aſſueuerat, vt cum in mariti caſtro Euchariſtiæ ſacrificium

cium priuata in ædicula crebrius offerret Cotonus, atque in agendis post sacrificium gratiis prolixissimus esset, non solùm ab ipsa, sed etiam à familia conspectus sit aliquoties radiato capite, totoque circùm corpore miro splendore coruscans. Memorat eadem matrona cum de suis quibusdam inter orandum difficultatibus apud Cotonum cui moderandam conscientiam tradiderat, sæpe atque anxie quereretur, illum vt laborantem ipsius animum exemplo suo erigeret, facie non leuiter pudore suffusa narrare exorsum esse. Sensisse se quidem iam olim turbari sibi interdum interiores sensus dum oraret alienissimis visis ab inferno tenebrione intrusis;sed eo primùm anno, maiore multò licentia se ab illo diuexatum. Nam ipsis etiam externis sensibus suis dissonos interdum strepitus, fœtores teterrimos, insanas formarum ac spectrorum ludificationes mediis in orationum contentionibus offerri ab eo consueuisse. Vnum tamen se istis omnibus scutum opponere, quod magnus solebat Antonius, collectam ex imbellis hostis despicientia constantiam in suscepta oratione ad exitum perducenda; Hæc illi vt opinor tirocinia fuere grauium ac perpetuorum certaminum, quæ ad mortem vsque cum humani generis hoste, non mente tantùm sed interdum etiam corpore illi vt dicemus fuerint decertanda. Verum is qui iubet de tenebris lucem splendescere; Cotonum inter ista versantem magis quotidie ac magis hominum famæ commendabat. Exeunte enim hoc anno qui fuit sæculi nonagesimus octauus, cum nonnullos alicuius nominis viros ab hæresi traduxisset ad Ecclesiam, alios autem aliquot in agresti illo secessu hæreticis regionibus vicino non leuiter perculisset, moti sunt Gratianopolitani quos labes hæ-

reſcos ſenſim ibat perditum , vt eum concionatorem in huius anni Aduentum , & proximi Quadrageſimam à noſtris præſidibus expeterent. Quo ille cum maxima Epiſcopi omniumque ordinum voluntate aduenisset , vt Catholicis hominibus animos atque alacritatem diſputationum efficacitate magnopere auxit, ita morum ſuauitate ſermoniſque comitate hæreticos adeò mitigauit, vt congreſſum eius appetere nequicquam interdicentibus Caluiniani verbi præconibus non ceſſarent. Quæ res præcones ipſos in tantam egit rabiem, vt vniuerſi in vnum effuſi nullam ei ab ineptis litigiis ac concertationibus quietem pluribus annis tribuerint. Sed hoc poſteà viderimus. Iſto verò iam tempore Cotoni famam ad Henrici IV. aures perueniſſe conſtat ex ipſius Cotoni literis ad fratrem hoc anno datis. Scribit enim Marſani Marchionis filium ſibi aſſeueraſſe auditum abs ſe Regem cum diceret, Cotonum modeſtiſſime omnium de ſe inter præteritos tumultus loquutum , & magnis autoribus præclara nunc ad ſe de illo perlata.

CAPVT XI.

ANNO CHRISTI 1599. ÆTATIS COTONI 35.

Gratianopoli plura certamina pro Fide Catholica ſuſcipit.

NOndum erat in exitu annus ſuperior , cum importuniſſimus ſimul atque confidentiſſimus Caluiniani verbi Miniſter Cotonum vltro laceſſiuit , literis ad certamen de rebus Fidei, quod illi fuit, vt an-

no

no ætatis suæ tricesimo sexto & septimo, prope continuum, ita exitu per quam gloriosum. Literas ille scripserat græcis voculis ac sententiolis grammaticum in morem infartas, ex quibus facile intellexit Cotonus tentari suam in Græcis peritiam, quòd nec ille græca sua esset interpretatus, nec disputatio Theologica his phaleris melior fieret. Ergo vt homini veteratori, iactantiæ apud suos, plebique hæreticæ contemptus Catholicorum Doctorum ansam omnem adimeret, literas ei omninò græcas rescripsit. Sed vide Sycophantæ nequitiam. Literas has, atque alias quas hoc anno plures dare perseuerauit, atque à Cotono accipere, contra omnem humanitatis rationem, nulla eius qui miserat voluntate, typis mandat, Cotonum ob grę̨cam illam epistolam ostentationis insimulat. Nimirum sic est hæretica versutia, calumniam omnem in partem in promptu habet. Si græca dissimulasset erat imperitus, quia non dissimulauit est vanus. Verùm Cotono causa fuit cur imperitiæ potius apud hæreticam plebem, quàm vanitatis accusationem timeret. Illa enim ne veritas admittatur ex ore eius qui imperitus audiat absterret; Ista, aut apud hæreticos animalia gloriæ vulgò non suscipitur, aut non magno negotio depellitur. Non erat adhuc cum hoc transactum, quando veternosus alter Caluini præco, rursus ei scripto disputationem denunciat. Erat vero Cotono tanta de Deo cuius causam agebat fiducia, tantùm salutis alienę desiderium, tanta laboris patientia morumque facilitas; vt nec ad vanissimum studium istorum hominum vellet aduertere, qui nihil aliud nisi gloriam ex his congressibus apud plebeculam suam aucupabantur, nec vlla eorum vel importunitate, vel impudentia se sinerat deterreri. Itaque

que dum ſcriptiones alias ex aliis abs ſe elici inter ipſas concionum quotidianarum occupationes patitur, iuſtum ei opus elabitur de ſacrificio Miſſæ, quod ne Aduerſarius pro libito, vt Hæretici ſolent, peruerſum ederet, de præſidum voluntate ſtatim illi fuit typis committendum. Quies ab iſto nondum erat, cum ſe tertius medium infert, de tranſſubſtantiatione litem intendens, nec Cotonus refugit dum hoc quoque ſuas, imo Veritatis vires verbo ac ſcripto, quod inter eius apologetica fuit haud diu poſtea euulgatum, experiri. Vt mirari ſubeat tantum in vno homine vel ſpiritus ad elaborandum publicè ac priuatim, vel patientiæ ad tolerandos audaciſſimorum hominum impetus eſſe potuiſſe. Tametſi illud maiore dignum admiratione occurrit, quod interim tam multos Catholicorum aut eorum hæreticorum, qui minus eſſent contentioſi gratia labores adiret, vt ab omni alio negotio ceſſare iis qui ad hoc ſolum attenderant videri poſſet: Magna enim cum eſſet Gratianopoli occaſio licentiæ ac corruptelæ morum ob quotidianum cum hæreticis legum Eccleſiaſticarum ac fere diuinarum contemptoribus conuictum; Incredibile eſt quantum illi cum prauis moribus luctandum fuerit, vt extirparentur, & quantum de pietate Chriſtiana ſatagendum vt reuocaretur. Continui erant poſt conciones virorum matronarumque de die ad eum conſilij aut confeſſionis cauſa concurſus, continuæ de nocte cum hæreticis labantibus aut redeuntibus ad fidem collocutiones. Sed nullus illi aut illuſtrior labor fuit aut vtilitate vberior, quam cum hic primum fundamenta iecit eorum omnium quæ ex eius ad Henricum IV. profectione tam in Societatem quam in Eccleſiam bona prodiere. Nactus enim illic virum Illuſtriſſimum

Franciſcum

Franciſcum de Bonne qui Dux Deſdiguieres & Regni Equitum Magiſter poſteà fuit, maximopere indoluit animum eius per temporum iniquitatem hæreticis opinionibus implicatum fuiſſe, faciléque æſtimans quantum toti Galliæ conferre poſſet eius ad Eccleſiam traductio, tanta eum verborum ac morum ſuauitate ſibi deuinxit, vt & apud Regem, egregium poſteà laudum ſuarum præconem habuerit, & ea in ipſius animum veræ religionis ſemina conſeruerit, quæ nunc in fructus maturos erupiſſe Europa demiratur. Id quo pacto obtinuerit nunc dicam. Impulerat illum Cotoni fama vt videre magnopere atque audire eum optaret, quod vt ſine Miniſtrorum Caluini fieret offenſione ſecretum ſibi ex arce ad Eccleſiam molitus aditum, perfoſſáque illius in pariete feneſtella, aſſiduus illo clam ſuis ſubrepebat cum tempus concionis aduenerat, adeoque delinitus ac commotus redibat, vt perpetuis Cotoni laudibus Caluinianos Miniſtros incredibiliter vrere, animoſque eorum ſuſpicione ac diffidentia ſui complere non vereretur. Tandem ad colloquium cum illo ſæpius venit, pari ſemper animi voluptate atque vtilitate, quin etiam literis poſteà cum abſente multum egit: noſque vnas Cotoni ad eum vidimus, quibus aſſeueranter affirmabat conſtare ſibi, illum in ea quam tunc fouebat credulitatis peruerſitate non perſeueraturum ad mortem, cuius rei fidem euentus poſteà præſtitit. Interim tamen dum ille moratur, non paucis aliis hæreſim extorſit Cotonus. Qua de re iſta reperi in literis ab eo ad Fratrem illo anno ſæculi nonageſimo nono datis. Quindecim hic, inquit, quos nouerim veram Eccleſiam agnouere; plures alij vt per literas amicorum didici, Gratianopoli ad ſuos digreſſi, idipſum, quæ Dei erga eos gratia eſt,

 præſtiterunt

præstiterunt. Agebatur his rebus in furorem improbus Dæmon, nec eo secius eius administri, qui dum apud imperitam concionem crebrò ac furenter contra eum debacchantur, vilem ex vltima plebe opificem ad nefarium facinus crediti sunt suscitasse. Is enim cùm simulasset velle se Cotono quædam de Fide ac Religione dubia proponere, vt saluti suæ ex eius responsis consuleret, admissus de more ad solum solus, cum nescio quid proposuisset; Intento ad responsionem, oculis vt solebat modestissimè demisis, repente guttur inuasit, tantoque conatu fauces oppressit vt voce extincta animam breui, vt erat homo validus, fuerit elisurus, nisi ad Cotoni obnitentis strepitum excitus domesticus cum socio famulus de funesti latronis manibus illum eripuissent. Et erat quidem eius in potestate vir scelestissimus, nec procul aberat vindicandi in eum iustissima ratio, si qua eius facinoris aura ad Senatum aliosve Iudices peruenisset. Sed cum ille solò prostratus veniam postularet, vehementissimam Dæmonis tentationem cui repellendæ impar fuisset, accusaret; in Ministros culpam reiiceret, credulitatis suæ imprudentiam detestaretur; Cotonus de Religionis cuius tam facinorosa essent opera, prauitate admonitum, & saluti suæ, ni perire pessime vellet, consulere iussum dimitti voluit, iisque duobus qui interuenerant silentium quandiu homo ille periclitari posset omni obtestatione imperauit. Et paruere illi eò facilius quod vir miserabilis, cum scelus suum respexisset, veniæque ac clementiæ magnitudine obstupuisset, ad Cotonum mutato iam animo redire, hæresimque apud eum multis cum lacrymis abiicere maturarit. Ita concionibus Gratianopoli tunc defunctus Cotonus, Turnonum à præsidibus est euocatus, vt collecto per dies aliquot in ora-

tionem piásque meditationes animo, solemnem votorum quatuor professionem de more Societatis emitteret. In quo dum ille versatur, nulla sui alloquendi potestate extraneis facta, Caluini administri veluti Lepores digressis canibus, ita libero lasciuire campo, atque alij reportatas antequam abiret victorias, alij paratas ni abiisset pugnas, alij, quod erat deterrimum conuictum illum, atque in suas partes declinantem à suis præsidibus abreptum, carcereque obstrictum non solùm in circulis ac colloquiis, sed etiam sparsis quoquoversùs literis prædicare. Ausus quin etiam ille ipse qui semigræcis literis eum initio prouocarat, alias ad eum denuò dare defectionis vel suasorias vel gratulatorias; nec defuit qui Cotoni nomine alias fingeret, hæreticorum spei ac desiderio consentaneas. Quæ literæ cum à Catholicis fuissent interceptæ, tanto omnes mœrore ac perturbatione consternarunt, vt velocissimis nunciis Prolegatum Auenionensem, Collegiique nostri Rectorem de hæreticorum iactantia admonerent, rogarentque impense vt prospicerent, ne Catholicum nomen quod Cotoni constantia atque eruditione illis in regionibus niteretur, eius lapsu graue detrimentum pateretur. Hæc Cotonus qui Auenionem intereà venerat, vt comperit: exarsit scilicet primùm vt par erat amore erga Catholicos quos adeò salutis suæ amantes experiretur; & iusto dolore contra Hæreticos qui spe sibi tam perniciosa seipsos deludere non verentur. Deinde Apologeticas ad vtrosque epistolas dedit, quæ licet tunc editæ fuerint, tamen illius quæ ad Catholicos data fuit hoc loco repetere partem operæ pretium fuerit, quod ad pernoscendas Dei ergà Cotonum gratias non parum conducat. Ergo cum dixisset

neminem vnquam animaduersum à Fide ad Hæresim defecisse, nisi quem prius vel ambitionis fastus suprà se extulisset, vel fœdæ voluptatis pondus infra se deiecisset, sic addit. Atqui ego per eius gratiam, qui me quamuis fragilem ac peccatorem segregauit ab vtero matris meæ, asserere possum coram ipso qui Iudex, Accusator & testis est operum, verborum & cogitationum nostrarum, me nunquam obnoxium illis rebus fuisse quas gradum ad Hæresim struere dixi; sed ab eis hoc abfuisse longius, quo à primo ætatis vere me ad se attrahere atque à tenerrimis annis amore ac timore suo animum meum coërcere Deo placitum fuit. Quæ cùm audiunt qui sinceritatis ac candoris quo in omni vita est vsus, conscij fuere, non dubito quin & ea pro certissimis habeant, & gratiæ in eum diuinæ defluxus vsque à prima ad hanc iam prouectam ætatem perennes non demirentur.

CAPVT XII.

ANNO CHRISTI 1599. — ÆTATIS COTONI 36.

Nemausi pro Fide multa vitæ adit discrimina.

CÆterùm ne sibi nimium placerent Hæretici in hac sua de Cotono vel opinione, vel expectatione; visum est Societatis præsidibus eodem hoc anno vt Nemausum vrbem pertinaciter hæreticam, quo ei aditum aperiebat Præfectus Prouinciæ Illustrissimus Dux de Ventadour, multum eam sibi operam deposcenti adire ad conciones æstiuas licitum esset. Quamquam enim ad annum tantùm sexcentesimum

tesimum ea illi prouincia esset designata ; esse tamen è re Christiana ipse existimabat vt maturè sentirent Ministri aduersarium quem tam temere tamque falso sibi finxerant suum. Erat Nemausi potestas tota penes Hæreticos, Catholicorum hominum atque in primis Sacerdotum funestissima illis olim cæde quæsita; sed non longo ante tempore Regis edicto Episcopum, Clerum, ciuesque Catholicos iampridem exulantes mœnibus receperat. Ac illos quidem Edicti autoritas, Regisque timor desolatis domibus restituerat,non tamen ciuiũ hæreticorũ amori. Hærebat enim adhuc in animis præteritorum temporũ memoria, quæ non tantùm amicitias bona fide conciliari non sineret, sed etiam pleraque inter eos non parum suspecta ac sollicita redderet. Sacerdotibus in primis minime tuta videbantur omnia, quod plebs odij contra eos ex Ministrorum concionibus collecti impotens, & ante hoc tempus nulla melius victima quàm Sacerdotis sanguine Deo litari posse censeret, & tum maximè ora conuitiis, manus lapidatione non abstineret, cum Sacerdos in veste sua apparuerat in publico. Hoc erant Nemausi loco res Catholicorum,cum ad eos Cotonus aduenit, qui tamen vt Ministros Caluinianos doceret, quàm fluxas de sua defectione spes concepissent, nunquam ante id tempus acrior in eorum errores ac fraudes insurrexerat quàm tum incubuit. Et mulcebantur sensim ferocis alioqui plebis animi, vt & copiosa ad eum audiendum conflueret & nunquam absque aliqua animi commotione abiret. Quod vt aduertere Ministri, furentibus desperatione animis, in id vnum conniti cœperunt vt eum aut fama priuarent aut vita. Fama vt priuarent geminas adhibuerunt artes. Altera fuit vt

homines

homines ordinis, ætatis, conditionis atque etiam sexus omnis ex composito summitterent, qui quæstionibus aut potius iurgiis ita eum fatigarent, vt vel parandis concionibus curandoque corpori tempus nullum faceret reliquum; vel labefactata aliquando patientia cuipiam responsionem negaret, vnde ipsis triumphandi apud populum, insimulandique eum ignorantiæ, an sa offerretur. Itaque seni illi aut septem aderant à prima luce, nec ante eum deserebant, quàm suffectis aliis hominem satis occupatum reliquisse se sentirent: qua assiduitate cum eum ad extremam prope lucem tenerent; periclitabatur videlicet aut sanitas eius aut fama, nisi & ipse breuissimi homo somni dierum iacturam noctibus compensasset, & Catholici re animaduersa iniuriam importunitatemque hæreticorum eo repugnante propulsassent. Malè tamen quandoque fraudis artificibus cessit ars sua, dum non nemo eorum qui lacessendi causa venerant, vehementi veritatis aculeo percussus, pacem animi nisi remisso hæresi nuncio non inuenit. Altera huic ars successit; vt incredibiles afferrent simulationes, quibus videri posset eum ad publicum de rebus controuersis certamen à Ministris prouocatum, congredi recusasse. Nam cum resciissent aliò eum à Præsidibus ad tempus accersitum; negotiosi ad domum eius accurrunt, certamenque vltrò denunciant. Cotonus tamen de tacita præsidum voluntate confisus, profectione sua in aliud tempus reiecta, certamen admittit. Perculsi inexpectata consilij mutatione Veteratores aliis sese artibus tegunt. Vilem enim atque hæreticam plebeculam quasi ad disputationis spectaculum, tota vrbe accersunt; vt Magistratus inter diuersæ Religionis vulgus seditionem non abs re veritus,

dispu

disputationis consilium interdicto, vt fecit disturbaret. Triumphabant hic nebulones, adeoque erant vecordes vt in Cotonum autorem referri hoc interdictum posse, vel non desperarent, vel se non desperare simularent. Sed omnibus aliud suadebat, & causa interdicti ab hæretica plebe orta, & Magistratus qui interdictum tulerat totus fere illa tempestate hæreticus. Nunc accipe quæ in discrimina vita eius sit adducta. Plebs vilissima iurgiorum semper ac certaminum auida, nihil interdictum morata, die quadam hospitium eius concursu facto obsedit, quò vel eum ire disputatum vocibus inconditis ac tumultuosis contra interdictum adigeret, vel si ire abnueret, conuitiis & lapidatione intra ædes obrueret. Nec cœptibus destitisset, nisi repentino, quamuis vano, imminentis sibi magistratus terrore dissipata, tempus in alias ædes elabendi Cotono præbuisset. Plus omnibus ausus est vnus, qui necandi ipsius animo, bis terue eius ædes cum sica ingressus, dum in faciem eius, innocentiæ, comitatis, pietatisque argumenta spirantem intendisset, ferrum nunquam stringere potuit, suumque tandem apud illum professus facinus veniam simul & salutis viam est nactus. Adfuit hæc inter, dies Augustissimæ Virgini in cœlos assumptæ sacra, qua Cotonus vt erat eo in argumento piissimè copiosus ac disertus, laudes excellentissimæ Dei parentis in Catholici populi concione ab impio hæreticorũ contemptu instituit vendicare. Quæ res cum Caluinianos Ministros acriter pupugisset, & nouis certaminibus verbo scriptoque viam aperuit, & Cotono occasionem suggessit dum illis scripto satisfacit, ista de suis Nemausensibus periculis palam attestandi. Fateor (inquit) ingenuè & audacter nunquam animum meum pulsari

ri acerbius, quàm cum de veritate Sacramenti Eucharistici, aut de eius quàm Deos puris omnibus creaturis antetulit Deiparæ honore quicquam detrahitur. Itaque oro vehementer, ac per eum qui nos condidit obtestor illos, qui mihi ob eam quam tueor Fidem noxæ quidpiam vel incommodi vellent inferre, si quando nocendi mihi ansam vel sua vel Dæmonis malitia eis suggesserit, diuinusque erga me fauor id siuerit, cuius rei suscepta consilia, & ob ingratitudinem ergà Deum lapsusque meos disiecta fuisse satis scio: Obtestor inquam, vti mala omnia, vel potius bona, quibus me afficient, alterius aut vtriusque huius veritatis respectu mihi moliantur. Excessit sub hæc Nemauso; sed non certamine cum Hæreticis. Vocatus enim à Delphinatis Senatus principe, Prouinciæ præfecto Domino Desdiguieres annuente, Christiana sacra multis ab annis exulantia, atque in tres Delphinatus vrbes Diam, Montem Aimari, & Neomagum postliminio ex Regis edicto reuertentia comitatus est, & quindecim concionibus intra dies vicenos celebrauit. Quo in itinere Hæreticos aliquos Ministros, qui maximè illum vt Catholicæ fidei desertorem apud suos prædicarant, malo suo egregiè docuit se fidem Catholicam seruare illibatam. Nemausum inde reuersus non solum nouas cum Ministris velitationes; sed nouos etiam à furiosa plebe tumultus in reliquum est annum expertus, donec acerrimis Nemausensis Curiæ interdictis, omnes certaminum ac tumultum causæ sunt sublatæ. Enimuerò memini duo illum in Nemausensibus hisce turbis solitum crebrò obseruare. Alterum singularis Dei prouidentiæ, quòd secundum Diuinam & Angelicam nulla in omnibus periculis ope vteretur præsentiore, quam

quam matronarum quas Hæresis maximè tenebat obstrictas. Illæ enim auditis furtim eius concionibus non nihil delinitæ, turbidum vulgus mollire, illæ submissis monitoribus Cotonum de periculis suis docere, illæ consiliorum atque insidiarum quas Ministri adornarant indicium facere non cessabant. Alterum fuit suæ vt ipse aiebat culpæ, quòd Nemausensem profectionem non sibi hoc anno destinatam ausus esset sua magis voluntate expetere quam præsidum imperio delatam admittere. Quo factum interpretabatur vt & duriora omnia hoc anno à Nemausensibus, & multò à Deo quam soleret minus interni roboris expertus sibi esse videretur.

CAPVT XIII.

ANNO CHRISTI 1600. ÆTATIS COTONI 37.

Sedata Nemausi tempestate præclaras de Vitio & Hæresi victorias reportat.

VErtente subinde anno post millesimum sexcentecisimo qui Cotoni erat à natali tricesimus septimus, susceptis ad Catholicos concionibus solitis nihil ille desiderari à se passus est eorũ quæ à Doctore suauissimo simul & salutis alienæ amantissimo poterant expectari. Dicerem sigillatim quantùm tunc abolendis vitiis excitandisque virtutibus contulerit, si non in mea vnius oratione multo esse minus sentirem fidei, quàm in solemni testimonio Episcopi, Cleri & Curiæ Nemausensis, quod illi decimo post anno depellendæ calumniæ causa ediderunt. Sensus

hac de re vnus eorum omnium fuit, ſed verba ſolius Curiæ, nuncupato, vt ipſa ait, ad ſacrum Euangelij codicem iuſiurando, & conſentientibus citrà vllam diſcrepantiam ſuffragiis facta huc tranſcribam. Teſtati, inquit, ſunt annis 1599. & 1600. eundem R. P. Cotonum continuo in vrbe Nemauſenſi concionatum eſſe, atque in ea fere illo toto tempore commoratum, aliiſque etiam temporibus per eam quoad per ſuſcepta itinera licuit tranſiiſſe, concionatum eſſe & dies aliquot in ea ſubſtitiſſe, ex quo Nemauſenſibus potuit ac debuit de actionibus viuendique ratione qua is Pater vtebatur familiariſſime, conſtare. Ac reuera conſtat omnes illius actiones ad Dei honorem ac gloriam, ad ſpiritualem inſtructionē conſolationemque multorum hominum collimaſſe; ſemperque in ea vrbe verſatum eſſe maximo pietatis, religionis & charitatis exemplo ac incitamento; ſiue in actionibus publicis, quales ſunt conciones, cohortationes, catecheſes; ſiue in priuatis, cuiuſmodi ſunt præſtita ægris afflictiſque & egenis opportuna ſubſidia, & cuiuſuis notæ ac conditionis hominibus ſedulò accuratéque nauata opera. Ita vt eius hominis induſtriæ, doctrinæ & morum ſanctimoniæ, fides pietas, charitas atque omnia Religionis Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ ornamenta ſuum ſplendorem & incrementum in ea præſertim vrbe in qua per bellorum ciuilium procellas ea omnia miſerabiliter deferbuerant, debere videantur. Sic Curia. His verò officiis, non Catholicos tantùm, ſed & plebem hæreticam ita deliniuit, vt nullis hoc anno tumultibus ab ea prodatur diuexatus. Cuius rei ea quoque Curia his poſteà verbis teſtimonium dedit. Eundem, inquiens, ipſum publicis concionibus, pri-

uatis

uatis consiliis & adhortationibus concordiam, amicitiam, & fraternam consuetudinem confouisse; & laudabile studium omnium animis iniecisse mutuis se officiis beneficiisque lacessendi, omni personarum acceptione posthabita. Ex quo euenit, vt bellorum ciuilium memoria pedetentim euanesceret, atque iracundia hominum per temporum iniuriam, & inueteratas simultates exulcerata placaretur. His artibus non tantùm aliis, sed etiam sibi quietem videtur hoc anno comparasse. Quanquam ea quoque fortasse fuit eius quietis causa, quod Cotoni fortitudinè ablata esset spes Caluini Ministris, posse eum timore cædis alterius-ve periculi de statione deturbari. Non enim defuit suspicio, hoc vnum turbis anni superioris quæsisse illa seditionis popularis flabella, vt Cotonus metu debilitatus; aut ciuitate excederet; aut sileret. Et hac quidem illis non successit; sed alia nihilominus via, aut adimere illi sermonem, aut sermonis autoritatem infringere; ignari quam solido dentem impingerent, hoc anno laborarunt. Etenim cum recens absoluta esset ab eo editio Opusculi de sacrificio Missæ, creberrimis Patrum, Sacrorum, pluriumque autorum testimoniis vel fulti vel illustrati; Ministri plures, atque ille in primis qui literis semigræcis eum superiore anno compellarat, litem illi falsi intentarunt, quòd eum dicerent aut à re alienis, aut vitiatis Veterum testimoniis vsum esse. Vnus ergo eorum, typis; alter scriptis committit illicò bene longum indicem testimoniorum quæ falsi insimularent. Et videlicet sperabant quod alibi illis perierat, alibi se restituturos. Per hæc enim fere tempora Rex immortalis memoriæ Henricus IV. Mornæi nobilis Caluiniani librum contra Eucharistiæ veritatem illustri vete-

rum testimonium fuco illitum, coram lectissimis Iudicibus in examen adduci ab Episcopo Ebroicensi voluerat, eo euentu, vt diluto autoritatum illo tectorio, & liber inhonorus, & Autor perennibus Falsariorum notis inustus remaneret. Sed Cotonus ne quid detrimenti res Catholica ex defensionis suæ mora pateretur, vt ingenio, ac multò magis animi magnitudine quadam cœlesti abundabat, Tria simul ad depellendam calumniam suscipit. Nam collecto in primis Catholicorum Nemausensium literato cœtu, librisque ex Aduersariorum etiam bibleotheca depromptis, testimoniorum quæ vsurparat fidem oculata illis demonstratione probauit. Deinde prolixo scripto ad omnes falsi suspiciones quas iniiciebant Ministri, appositas responsiones adhibuit: Denique ne triumphum hoste nec viso, nec audito agi causarentur, literas dat tùm publicas ad Nemausense illud de theatro consistorium, tùm priuatas ad eos qui prouocauerant Ministros, quibus certamen publicũ vel flagitabat, vel Magistratus assensu implorato deferebat, vt ostenderet hominibus illusum ab iis qui scriptum illud suum falsi insimulassent. Res in eo erat statu, vt si per Magistratum, quod eatenus factum fuerat, certaminis consilium disiiceretur, Hæreticorum qui maiore ex parte Magistratum occupabant, maximum dedecus nulla posset tergiuersatione prohiberi. Alioqui verò insignis benignitas & modestia Cotoni, quæ tum in iis quas scribebat literis, tum tota in vita eminebat suauem illis ad assentiendum necessitatem inferebat. Vicerat enim propemodùm eorum feritatem comitate, superbiam demissione, insolentiam moderatione; vt sua ipsi sponte ad eum interdum domum ventitare, colloqui, & salutare

lutare iam in publico non refugerent. Itaque partim suorum accersitu, partim sponte sua conuenere Nemausum Caluiniani Ministri quinque, quorum è numero is quem dixi, literarum semigræcarum scriptor, loquuturus, reliqui in subsidiis erant futuri. Cotono Deus adduxit victoriæ testem Illustrissimum Cardinalem de Sourdis, qui casu illac iter habebat ad Regem. Adfuit & Nemausensis Episcopus, & primæ notæ Catholici aliquot. Duo dies abiere, quibus duo testimonia à Cotono pro Eucharistica transsubstantiatione prolata, longa Grammaticę ieiunitatis disquisitione vexata, nunquam eò adducere potuit Minister vt Cotoni sententię inutilia censerentur. At ipse facile suspicatus, tædium esse Auditoribus ab his Grammaticæ apicibus, iis cursim compositis aut expositis, doctrinam Transubstantiationis à Patribus, locis illis testatam copiosè ac diserte demonstrabat. Quam orationē, cum multo æquioribus animis audiri aduertissent Hæretici, Actori suo suaserunt, vt mutata velificatione Transubstantiationem testimoniis Veterum, quę ipsi collatis operis coaceruarant, infirmare tertia certaminis die laboraret. Ille verò vbi dies aduenerat, tribus ipsis horis vna quasi saliua recitauit loca prope innumerabilia Patrum, sed trunca scilicet aut detorta, aut vitiata, quibus Transubstantiationem configi contendebat. Stupor obsederat Catholicorum animos, & videlicet nonnulla commiseratio Cotoni, lacrymis etiam quorumdam testata, quod ad alia omnia paratum quasi ex insidiis eò pertrahi viderent, vt ex tempore tot autoritates Patrum explicaret, quot vel meminisse difficillimum esset. Ille tamen cætera lenis ac tranquillus, vbi ambitiosus ille autoritatum imber depluerat, diuina plenus fiducia ingentes

sustulit

ſuſtulit animos, nihilque cauſatus vel modum, vel argumentum diſputationis, pauca proloquitur; Tum ab vltima earum quæ recitatæ erant autoritatum exorſus, ad primam aſcendendo progreditur; tamque dilucidam ſingulis, aptamque reſponſionem adhibet, vt memoriæ ingeniique prodigio; & Catholicos læta admiratione compleuerit, & Hæreticos mœſtiſſimo ſtupore verſa vice obrutos domum ſine voce remiſerit. Quinque poſthæc dies perſeuerauit diſputatio, Miniſtro quotidie infelicius rem agente, ſiue quòd nihil eorum quæ accuſarat, probare poterat; ſiue quòd in dictione ſubita & improuiſa infantiſſimus erat; ſiue quod Grammaticas tantùm quiſquilias omnibus locis captabat. Quæ cauſa fuit vt Hæretici apud Canayum Fraxineum Præſidem Senatus quem Galli vocant Bipertitum illac forte iter agentem, quod ei in Nemauſenſes eſſet Iuriſdictio, enixè egerint vt certaminis curſum ſeditionum ac turbarum prætextu abrumperet. Idque ille ita fecit, vt & Hæreticis quibus tunc præerat pro magiſtratus munere in præſenti conſuleret, & ſuæ nihilominus ſaluti in futurum proſpectũ vellet. Sexto enim fere poſt menſe defunctus eo magiſtratu, atque ex hac aliiſque diſputationibus Miniſtrorum imbecillitatem malamque fidem edoctus, ſempiternum hæreſi nuncium remiſit. Alios quoſdam huic acceſſiſſe negare non potuit Miniſter ipſe Aduerſarius, qui certaminis huius mendaciſſimam texens hiſtoriam in epiſtola ad Nemauſenſes ſuos ita loquitur. Fateor ingenue nonnullos noſtrorum ipſis in prædam ceſſiſſe, ſed tam paucos tamque nulla ex cauſa, vt ſit cur plus doleant de cæterorum conſtantia quàm ſibi gratulentur de iſtorum deceptione. Ita miſer mala ſua palpat. Scitum tamen eſt

certiſſimò

certiſſimò & tunc triginta quinque ad fidem Catholicam acceſſiſſe, è quibus tres in Magiſtratu erant,& in poſterum tantam ab hac diſputatione conſternationem Hæreticorum fuiſſe, vt cum in Miniſtrorum infantiam ac tarditatem referrent quod erroris potius imbecillitati erat tribuendum, alios vndecumque qui Cotono eloquentia pares videri poſſent ſibi accerſere laborarint. Sane illud hoc loco non prætermiſerim, Cotonum humaniſſimis literis diu ac crebro ante hoc certamen Aduerſarium hunc ſuum conueniſſe, ratum aliquid in eius ſalute poſſe hac familiaritate ac comitate promoueri; ſed animi eius peruicacia ac ſuperbia penitiſſime perſpecta hæc ad eum in Literis quæ hactenus extant quaſi futuri conſcium perſcripſiſſe. Quod ad te attinet, Chamiere, quantum Deus mihi conceſſit perſpicere,ſalutem tuam eſſe prouideo deploratiſſimam. Nam præter execrandas blaſphemias quas intrepide atque effrænate euomis contra Euchariſtiæ ſacroſanctum Sacramentum ac ſacrificium,agnoſco etiam inſignem in te Caluini id eſt perditiſſimi hæretici notam, arrogantiſſimum de te ipſo præ aliis ſenſum,& obſtinatum eorum quæ ſemel ſenſeris amorem. Nec vaticinio caſſa fuit fides. Vidimus enim eum quadriennio fere ante Cotoni obitum non ſolùm in hæreſi peruicaciſſime perſeuerantem; ſed etiam rebellantibus contra Regem Hæreticis Montalbanenſibus faces atque animos ſuggerentem muralis tormenti globo, diſſipatis momento membris æterno damnatum interitu.

CAPVT XIV.

ANNO CHRISTI 1601. ÆTATIS COTONI 38.

Gratianopoli denuò Fidei & Moribus ciuium multum allaborat Cotonus.

NEmauſo digreſſus reuertit Gratianopolim ad conciones anni ſexcenteſimi primi, atque in itinere mulierem pietatis laude Valentiæ Segalaunorum celebrem inuiſit, quæ etiamnum atteſtatur dum mutuò ſe ambo ſalutarent conſpectos ſibi Cuſtodes vtriuſque Angelos humana in ſpecie inſignibus, inuicem amoris ac venerationis ſignis conſalutantes, lætiſque ſingulos oculis ſui Socij alumnum intuentes. Quod viſum cum illa Cotono prodidiſſet, compertus eſt non tantùm rei totius nunc conſcius, ſed etiam ſpectaculis eius generis alias aſſuefactus. Gratianopoli noua illum ſed languentia ac prope iam fracta Miniſtrorum litigia rurſum excepere. Delirus quidam ſenex frigidam pituitam in chartas aliquot libelli malè conſarcinati contra opuſculum eius de Miſſa infudit, qui libellus cum ſuapte ſponte diffflueret ac contemneretur, indignus eſt habitus qui Cotono bilem moueret. Maius illi tunc opus ſurgere cœpit Geneua Plagiaria, cuius editionem vidit annus poſt hunc octauus decimus. Cùm enim cerneret potiſſimam eorum partem, quos hodierna hæreſis peruertit in Gallia, ſolam Scripturam, eamque non ex puris fontibus, ſed ex lutulentis Geneuenſium riuulis ſuo lapſui prætextum obtendere, inſtituit ſingulis concionibus efficere vt ex

propoſitis

propositis Geneuensium Bibliorum corruptelis intelligerent se non vera sed supposititia Scriptura delusos. Quod institutum cum aliquantum hic promouisset, extremo anno suæ in Aula commorationis absoluit, & libro edito euulgauit. Cæterùm ad hoc negotium adiecit sibi hoc anno Cotonus triplicis Catecheseos laborem. Vna fuit communis, vbi controuersiæ cum Hæreticis agitabantur; Altera moralis, quæ conscientiæ ius Sacerdotibus exponeret; Tertia Theologica, quæ obscuriores & altiores de Fidei mysteriis quæstiones explanaret. Quæ res summæ erat oblectationis iuxtà atque vtilitatis. Neque enim abhorrebant viri doctiores & optimates Senatoresque grauissimi bonas iis rebus multasque horas impendere. Malis deinde moribus quamuis inolitis ac publicis magno animo obuiam iit, atque à Dei domo exorsus, cum animaduertisset Sacerdotes passim secundam à communione ablutionem inuerso calice in terram excutere, aut parieti impingere, pueroque ministranti calicem ad altaris mappam detergendum tradere solitos, exarsit videlicet pro sua in Sacramentum veneratione, contra inuerecundi ritus indignitatem, tandiuque illum in concionibus exagitauit, donec ab hominum vsu exigeret. Quod sequitur ad plebem pertinuit, pessimique exempli fuit plenissimum, quia tamen etiam turpissimum, indicabitur potius quàm explicabitur. Cùm virgines extrà ciuitatem dabantur in matrimonium, in porta vrbis qua coniugibus erat transeundum tam fœda peragebantur vt gentilitiam idololatriam vel saperent vel superarent. E loco superiore in illam inuerecundiam tam acriter tamque ardenter Cotonus declamauit vt non modo rem totam de medio sustulerit, sed & autoribus tantum pudoris attu-

lerit vt perdiu conſpectum hominum quo erant indigniſſimi defugere cogerentur. Iam iſta quibuſdam priuatim ſunt ab eo tributa. Familiæ non ignobilis quinquennis puer raptore occulto minimeque aſpectabili repente de familiarium conſpectu abreptus, nunc in vinariam cellam, nunc in obſcurum domus barathrum deportabatur. Mœſti parentes ac trepidi, conſilij opiſque cauſa puerum ad Cotonum adducunt; quem ille cum deprehendiſſet innocentiſſimum, ad Parentes verſus inueſtigare inſtitit num quæ familiarium aliorum-ve maleficia ſuſpicarentur? quod cum illi negaſſent, intulit, vereri ſe ne in Sacramentis quæ ſuſceperat, quidpiam reſideret vitij quo iſta Dæmonis aduerſus eum poteſtas fulciretur. Hic Parentes quaſi expergefacti narrare incipiunt nondum ipſum Baptiſmo luſtratum, quòd neſcio cuius Optimatis aduentum adhuc præſtolarentur qui celebriori baptiſmo ſuſceptor eſſet. Exhorruit Cotonus negligentiam, quod priuato ſaltem ritu puerum non luſtraſſent, & magnopere vrſit ne vanæ fortaſſe celebritati tantùm tribuerent, vt pueri incolumitati totam in vitam obeſſent. Illi etſi baptiſmum priuatim illi accurarunt, tamen humanis pleni cogitationibus ad celebritatem illam ſuam reſpicere dilatis eo baptiſmi ceremoniis non deſtiterunt. Sed cum paucis poſt diebus multò quam vnquam ante inclementius ac periculoſius abreptus eſſet puer de medio, reguſtarunt Parentes Cotoni verba, acceleratiſque illicò Baptiſmi cæremoniis Filium deinceps extrà incommodum periculumque omne poſuere. Quod exemplum in Vrbe, vbi plurimi ſpretis hæretica negligentia Eccleſiæ vetuſtis ritibus luſtrati baptiſmo fuerant, & memorabile fuit & perquam vtile. Alterum addo neque vtilitate

litate neque dignitate minus. Matrona nobilissima Præfecti Prouinciæ filia, ditissimæ ac potentissimæ spes familiæ, dum conciones Cotoni paterno exemplo frequens audit; maximique facit, hæresim quam, cum lactè hauserat suspectam primo, tum inuisam habere cœpit. Sed quod magnus erat per illa tempora Caluinianæ factionis vel respectus vel potentia, nec satis adhuc certa parentis eius ergà res Catholicas voluntas, nihil verebatur vehementius quàm ne qua aura suæ cogitationis, vel patris vel alicuius è grege Caluiniano aures afflaret. Itaque rem premebat diligentissimè pari animi sui periculo ac labore, donec eo luculentioribus in dies diuini luminis radiis perculsa quo magis assidua Cotono aures dabat, nec satis iam Deum sese animo infundentem ferens, ad eius opem confugit. Is secretissimè admonitus, captata Præfecti salutandi atque inuisendi occasione, matronæ colloquio ex Patris licentia, quod aliàs fecerat potitus, totius vitæ noxas confitentem audiit, paucisque post diebus diuinis epulis cõmodo loco participatam, opportunis ad constantiam cautionibus communiuit. Tenuit idem occulte institutum plures annos matrona, Cotono quotannis clam summittente qui sacris illam impertiret, donec plusculum nacta libertatis, fidem Catholicam ante mortem publice est professa. Hæc dum fiebant, homo hæreticus instigante vt fas est credere inferno hoste, cui iacturæ suæ dolerent vehementer, Cotoni domum ingressus insolentius quiddam atque impudentius dixit ac fecit. Quod vt peruenit ad Senatum, quidquid contra niteretur Cotonus acriter est vindicatum. Immo & Pro-Rex adhuc Hæreticus, Ministrum Caluinianum coram se Cotono obloqui ausum, tam belle verbis excepit vt ridendum

contemnendumque propinaret. Denique tantus fuit omnium erga illum amor, vt Maſſiliam inde deinceps abeunti effuſa duobus locis ciuitas dolorem ſuum lacrymis omnique animi ſignificatione ſit teſtata. Sed in hoc Maſſilienſi itinere res illi contigit non ſolum Angelicæ cuſtodiæ, diuinique ergà eum amoris, ſed etiam ſanctitatis ipſius argumentis illuſtriſſima. Cùm enim Rodano rapidiſſimo ac periculoſiſſimo Galliarum flumine nauigaret, vi ventorum an nautarum imperitia ſocordia-ve neſcio, impacta eſt tam vehementer lapideæ pontis flumini impoſiti pilæ nauigij quo vehebatur puppis, vt prora, in qua Cotonus ad periculi ſenſum genua precaturus poſuerat, ad oppoſitam pilam repercuſſa, nauigium à prora ad puppim ſub precantis genibus duas in partes finderetur. Confidentius ergò diuino flagitato ſubſidio nautas monuit, vt nauigium littori aduerterent, quo cùm eſſet peruentum, omneſque exſcendiſſent, partes nauigij ſponte ſua in diuerſa diductæ, manifeſto omnes docuere non alia quàm precum Cotoni virtute eatenus cohærendo ſaluti ſe illorum ſeruiſſe.

CAPVT XV.

ANNO CHRISTI 1602. ÆTATIS COTONI 39.

Maſſiliæ Dæmonis deprehendit fallacias & mores ad pietatem informat.

DEhinc Maſſiliam Catholicam ciuitatem in annum ſexcenteſimum ſecundum ſæculi, ſuæque ætatis triceſimum nonum, adiens, reſpirare ſibi eſt viſus.

visus. Liber enim molestis atque inuerecundis Hæreticorum iurgiis, incredibile est quantum pietatis sensibus in se atque aliis suscitandis inuigilarit, quantasque virtutum progressiones in illa ciuitate tranquilli iucundique laboris sui fructus breui conspexerit. Scripsit ipse ad Fratrem hoc tempore in hæc verba. Duos iam menses Massiliæ maritima vrbe egi, vbi animorum piscatus tanto est vberior messe vrbium mediterranearum, quanto aquatiles animantes terrenis sunt numerosiores. Memini vero audire me eum dicentem, nunquam se aut in alia ciuitate plus ergà se, aut in se plus ergà aliam tenerrimæ puríssimæque charitatis persensisse. Vna tantum in re sibi ægre tunc factum memorabat, quod cum Sacerdos quidam esset in ea Ecclesia vbi ipse conciones habebat, tanta vulgò scientiæ sapientiæque laude, vt matronarum in conscientiæ difficultatibus enodandis commune quoddam oraculum censeretur; nulla ope consequi potuerit, vt vel cum eo congredi ad præbendas sibi mutuò operas in commune animorum bonum, vel cum iis matronis quas ille moderabatur, aliqua verba commutare posset. Enimverò frustratis sæpe iis quos amicitiæ inter se & illum conciliatores adhibuerat, cum egregiam eius rei conficiendæ occasionem oblatam existimaret, quòd ab Ecclesiæ illius præsidibus eius Sacerdotis cubiculum sibi esset ad interquiescendum à concione, attributum, fecit obstinatio eius in Cotoni congressu defugiendo, vt irritus esset consilij, pedem quippe in cubiculum nunquam intulit, nisi, postquam ipse extulisset. Demiratus hominis ingenium alia iam omnia cogitabat, cum semel atque iterum obiectus est illi homo nec opinanti tàm tetro & monstruoso vultu, vt inferno spectro similior quàm homini

mini videretur. Pressit rem Cotonus tunc silentio, & amicitiam eius optare desiit, mirantibus non parum iis qui prioris animi eius fuerant conscij, nec ipso vbi Massilia excessit abnuente metuere se plurimùm eius sorti. Sed omnia tempus aperuit. Paucis enim post annis, Dæmone ipso per Energumenæ puellæ os nomen deferente, reus is Sacerdos est apud Iudices factus, confessusque se Virgnum matronarumque animis, impurum sui inter Sacramentum pœnitentiæ amorem magicis afflatibus inspirasse, eâque arte vitium multis attulisse, sententia Iudicum vindicibus flammis viuus est addictus. Cæterum cum tota vita immensum fuerit Cotono studium, Augustissimo Sacramento tam venerationem & vsum apud Catholicos, quam fidem apud Hæreticos conciliandi, vt ex iis quæ iam perscripsimus agnoscitur, tum ea in re egregie anno isto laborauit. Rarus erat aut insolens sacri epuli vsus ad Christi natalia, sed ille paucis concionibus ea causa institutis consecutus est, vt triginta hominum millia eo tunc participarent; quod, inito accurate numero, à Parochis Episcopo fuit renunciatum. Damnati ad triremes viri octingentis plures, præpostera nescio qua Religione non solum in vita, sed etiam in discessu ab ea, Eucharistiæ & Vnctionis extremæ vsu indigni censebantur. Cotonus non illud tantum nunc obtinuit, vana illa Religione discussa, vt morientibus Sacramenta illa ne essent interdicta; sed etiam posteaquam in Aulam venit apud Generalem Triremium præfectum egit vt quibusdam anni temporibus, sanis liceret Eucharistiæ participare. Hæc ille apud Catholicos in Sacramenti honorem tunc promouit, sed apud Hæreticos quæ nunc dicam. Pomeridianas festi cuiusque diei horas, discutiendis

hæreticorum circa Euchariſtiam controuerſiis dabat, quo labore effecit; vt ex hæreticis pauciſſimis qui in illa erant vrbe, ſex apud ipſum errorem depoſuerint. Priuatam cum hæretico nobili diſputationem in domo primaria iniit, de re eadem, & conuictum ad Eccleſiam traduxit. Creditum eſt, non argumentis magis quàm incenſis ad Deum precibus ſolitum illum res iſtiuſmodi conficere; fuitque obſeruatum viſa quædam inſignia non raro oblata fuiſſe diuinitus iis quos ille ad fidem Sacramenti Euchariſtici pellexiſſet, quæ vt precum illius effecta poterant videri, ita maxime erant apud eos quibus obtigerant fidei firmamenta. Inſigne eius rei exemplum editum dum Auenione concionaretur ſupra memoraui. Accipe nunc huius temporis aliud. Mulier annis plurimum nec multò minus infidelitate prouecta, cum ex eius concionibus errorem dedocta, veritatem Euchariſtici Sacramenti agnouiſſet, moxque Eccleſiæ conciliata ſacris intereſſet myſteriis Chriſti Domini humanam ſpeciem inter Sacerdotis manus conſpexit. Quo ſpectaculo mirificè confirmata cùm poſt dies aliquot eiſdem myſteriis participatura adeſſet ac nonnihil eo moneretur quòd vnius tantum ſpeciei Sacramentalis compos futura eſſet, vidit in Sacerdotis manibus diſtinctiſſime hoſtiam ſanguine fluentem, vt non ambigeret ſanguinem illic non deeſſe vbi corpus ante conſpexerat. Reieci in hunc locum, quo ſimilia iungerem, precumque eius hoc in genere efficacitatem docerem, aliud quidpiam non diſſimile, altero ante hunc anno conſpectum. Inſtituebat, vt dixi, Nemauſi defenſionem Euchariſtici Sacrificij Cotonus, Epiſcopo nonnihil refragante, quòd plus æquo ſibi metueret à Caluiniano populo rerum in vrbe potiente, qui tamen

men

men verbis eius tandem delinitus consilio suscepto fauit. Id quam fuisset Deo cordi, insigniter est Episcopo demonstratum. Nam extrema die annuæ celebritatis diuini Sacramenti, vbi thecam quæ Sacramentum conspiciendum exhibebat benedicturus populo in manus accepit, euidenti specie diuinissimum IESV Christi vultum maiestatis ac decoris plenum, oculosq; ad gratulationem componentem, eo in spatio quod compleuerat hostia intuitus, & intima tunc animi suauitate delibutus fuit, & multum Cotoni instituto Dei gloriæ conferri sibi persuasit, & omnes abs se terrores diuini certus subsidij propulsauit. Sed vt Massiliam reuertamur. Tendebat in exitum annus iste, cum Archiepiscopus Aquensis ab HENRICO Rege impetrauit, vt interdicto quo nostri conciones à sua prouincia abstinere iussi erant, Cotonus non comprehenderetur. Itaque Massilia euocatum Aquis-Sextiis in huius anni Aduentum ac proximi Quadragesimam concionatorem attribuit. Quibus temporibus quia morem suum ac institutum iuuandi homines tenuit, nec quidquam de gestis tunc de eo rebus ad nos peruenit, earum quas in aula statim suscepit magnitudine, istas vt opinor de hominum memoria tunc extrudente, parcendum censeo stylo. Ac cum de Cotono antequam Aulam adiret hæc potissimùm visa sint digna memoratu, & si quæ forte aut hic exciderint, aut anno non satis nobis comperto euenerint, ea tertius liber sit repræsentaturus; illud tantum nunc instat, vt gesta eius ab Aulæ aditu ad exitum ex ea, altero libro qua decet cura & fide, aspirante Deo enarremus.

LIBER



LIBER SECVNDVS DE VITA PATRIS PETRI COTONI è Societate IESV.

CAPVT PRIMVM.

ANNO CHRISTI 1603. | ÆTATIS COTONI 40.

Qua Ratione in Aulam Henrici IV. Franciæ ac Nauarræ Regis fuerit accersitus.



ON humano magis quam diuino accitu aditum Cotono patefactum in Henrici Magni Aulam, cum alia omnia cogitans Aquis-Sextiis conciones haberet; multis ex signis coniectura fieri potest. Intercessit enim non solum iam olim ea quam priore libro dixi Mediolanensis Virginis prænunciatio; sed etiam triennio & eo amplius ante hunc ætatis ipsius annum quadragesimum multiplex eius rei vel in animis quibusdam Deo charis, vel in ipsa Cotoni mente præsensio. Valentina mulier diuinis illustrationibus inde ab ætate tenerrima assueta, cum eum haberet triennio antè conscientiæ arbitrum, inter feruentissimas

preces Dei verbis renunciare illi est iussa, futurum in Aulam eius aduentum Regiæque conscientiæ moderationem. Pater Antonius Milliæus, qui Lugdunensi Societatis Collegio nunc præest, annis aliquot ante id tempus audisse se ex Cotoni ore testatur, cum asseueranter diceret diuini consilij esse vt restituendæ in Gallia Societati à Rege adhiberetur. Atque ego planè memini non solum me idipsum per ea tempora inaudisse, sed etiam vulgò in Nostrorum ore fuisse id ab eo multis frequenter significatum. Ac licet non satis clara esse diuinæ voluntatis indicia in tam certis prænotionibus cuipiam fortè videretur; tamen humana ipsa accersitus illius ratio cuius mihi nunc series est pertexenda satis edoceret eum absque singulari diuinæ bonitatis prouisione non contigisse. Etenim exeunte anni sexcentesimi tertij quadragenario ieiunio cum Rex sempiterna memoria dignus Henricus IV. Mediomatrices vt Rem constitueret publicam cogitaret, eoque Varennæum gratiosissimum tunc aulicum præmisisset, venit ille ex itinere Mussipontum, vbi Lotharingici Principes celebrem nostrorum Academiam constituerunt; sæpiusque egit cum nostris, quos amabat non mediocriter; vt ex itineris quod tunc à Rege suscipiebatur occasione auderent ad eum adire, exiliique iam nouennis calamitatem in posterum deprecari. Quod posteaquam Laurentio Magio est renunciatum, qui eius potissimum rei causa à Præposito Generali Claudio Aquauiua missus erat biennio fere antea in Galliam Societatis Visitator, tametsi delusa iam crebrò restitutionis nostræ expectatione nihil magnopere sibi auderet polliceri, ne qua tamen parte suo deesset muneri Ignatium Armandum, quem superiore anno prouinciæ nostræ Francia-

ciæ

ciæ præposuerat, vt dispiceret quid facto opus esset, è Comitatu Burgundico, vbi tunc erat, Mussipontum mittit. Intereà iter habuerat Rex Viroduno primæ Belgicæ ciuitate, vbi ex Gallico Societatis naufragio supererat tabula non exilis, Collegium Sociis pro tempore satis numerosum, quod ipsum crebros Senatusconsultorum Parisiensium tempestates, quæ Francorum liberos ad Collegia nostra appellere prohibebant, iamdiu grauiter quatiebant. Qua rerum necessitudine pressus qui Collegio præerat Carolus à Turri, de eius quem dixi Varennæi consilio ad Regem supplicatum iit, vellet ac iuberet vt interdictis Senatus Parisiensis Virodunense Collegium ne comprehenderetur. Annuit Rex precibus humanissime, verbisque admodum beneuolis spem dedit plura se ac maiora nostra causa velle. Hac spe excitatus, vbi aduenit Ignatius, Regem apud Mediomatrices cum aliquot sociis adit. Ibi Varennæus monitum vt cum Villa-regio qui Regi erat à secretis postulata sua communicaret, ad cæteros Regni administros primarios salutatum ire iubet. Postera die, quæ sanctioris hebdomadæ feria erat quinta, interpellatus rursum ab eo Varennæus, Regis verbis imperat vt in Episcopij aula lauanti pedes regio more duodenis mendicarum mulierum liberis, eosque pie deosculanti præsto essent, posteàque pomeridiano tempore vt liberius ad Regem dicerent, in secretissimum eius cubiculum condixit. Quo cum illos post horas aliquot Villa-regius admisisset, prouolutos in genua Rex stare iussit; orsusque Ignatius dicere, postquam diserta oratione impactas Societati calumnias depulit, infelicem casum qui nos ab eius conspectu, carissimæque patriæ complexu abstulerat deplorare instititi. Clementiam, qua alienatos

abs se plurimum animos ad officium, principisque legitimi chariratem reduxisset, per effusum à Christo sanguinem, cuius tunc colebatur memoria, demisse implorare. Reddi nos penatibus pristinis, si minus nostris, illius certe meritis, regiæque bonitatis respectu flagitare. Exciuit hæc oratio copiosas lacrymas Varennæo, ac prope Illustrissimo Duci Espernonio qui forte aderat. Rex ipse colliquefacto nonnihil animo, opinionem odij in nos sui amolitus, nihil vehementius optare se dixit, quam subditorum omnium tranquillitatem & commoda; multa Parisiis euenisse quæ facta nollet. Tum singulorum qui aderant natali solo quæsito, & pauca de præteritis calamitatibus interfatus, sciscitatur ab Ignatio num optimos concionatores haberemus? & num inter illos egregius esset Cotonus? respondenti maximi illum hac ex causa nec immeritò fieri à multis, Regiisque obsequiis addictissimum esse, assensus est Rex beneuole; conuersaque ad astantes oratione; Est ita (inquit) vt dixit: Nam Desdiguieres quamuis maxime Hæreticus eum magni facit, mihique magnopere dilaudauit. Sane cui hic mirabiles non appareant diuinæ prouidentiæ artes, quæ non alia quàm Hæretici hominis ac perdiu insignis Hæreticornm patroni commendatione, Cotonum infestissimum hæresis hostem eo prouexit, vbi hæresi afferret perniciem; is omnino nec mirari quidquam, nec perspicere posse videatur. Cæterùm iussos sub hæc nostros Paschalia festa in aula transigere varij excepere casus. Aulici enim tam benigno Regis potitos colloquio immodica gratulatione; hostes nominis Societatis, artificiosis cum primis calumniis sunt prosequuti. Eadē quippe die Virdunensis quidā vir, quod pudor est dicere, Ecclesiasticus, nomen nostrum ad Regem

gem detulit,quasi ciuitatem pro ea qua apud Episcopū eramus autoritate à Regiis obsequiis abalienaremus; sed breui concidit insulta calumnia, nulla verisimilitudine sustentata. Rex nihilo secius illustria erga nostros beneuolentiæ argumenta pergebat prodere, cum biduo post adfuit homo hæreticus, qui diceret Regi, Hispanici maris Præfectum Burdegala iter habentem, effuso ad eum domi salutandum Societatis toto Collegio honore exceptum immodico. Postridie Resurrectionis Dominicæ Rex nostros iterum in secretissimum cubiculum cum admisisset, monuit magna vt cautione loquerentur & agerent, narratisque, iis quæ de excepto Hispanici maris præfecto audierat, nonnihil de quibusdam nostrum queri est visus. Sed cum Ignatius indicij falsitatem coargueret, quod moris nostri nunquam fuerit, totum simul Collegium ad vllum vel maximum Principem domum ire salutatum, sponderetque se per literas breui quidquid id esset comperturum: Rex defensionem admisit; scitumque posteà, venisse quidem ad nos Præfectum illum sacrorum causa, sed nostrûm neminem ad illum domi salutandum iuisse. Dehinc cum restitutionis nostræ negotium Parisios Rex reiecisset, quod diceret esse consentaneum vt Pontificis responsa expectarentur, quandoquidem ille huic negotio interuenisset: Quæsiuit Ignatius iuberétne vt Galliæ Prouinciis Præpositi omnes Parisios venirent, mandata eius exciperent, & de omnium sociorum fide atque obsequio sponsores essent? Rex, nihil inquit est opus, tu tantum veni & Cotonum adducito, diplomata tutelæ vestræ causa, curanda Varennæo dedi,simulque singulos amantissime complexus dimisit.Ignatius Mussipontum, atque inde Nanceium Lotaringiæ regressus

sus, Magio per literas de iis quæ acta erant admonito Cotonum qui Auenione Prouinciæ comitiis intererat, ad se mitti rogat. Nec ille distulit profectionem, sed Mussipontum breui ad Ignatium, atque inde per Parisios ad Regem, qui Fontem Eblaudi petierat, ipso augustissimi Sacramenti festo die, qui in vicesimum nonum Maij inciderat gratissimo sibi dici omine exhilaratus peruenit.

CAPVT II.

ANNO CHRISTI 1603. | ÆTATIS COTONI 40.

Gratia apud Regem, primique labores Cotoni in Aula ante restitutam Societatem.

DVm iter Parisios versus vt dixi dirigeret, magnopere animi pendens quem exitum habitura esset ea profectio inter tam potentia ac professa multorum in Societatem odia, nec quidquam humanæ opis nisi in Regis beneuolo animo esse aduerteret. Valentiæ Segalaunorum matrona pietatis iampridem Cotono expertæ atque perspectæ, iussam se a Deo asseuerauit illi renunciare: Iret intrepide quo vocabatur, nec dubitaret quin Regis cor esset habiturus. Quæ verba quandiu Rex vixit de eius erga se beneuolentia interpretatus, postquam mortuus est de corporeo etiam corde posse accipi animaduertit, quod ex illius viuentis voluntate ipsi aliisque è Societate traditum est, vt in Flexiensi nostra Ecclesia amoris incomparabile pignus conderetur. Cæterùm quàm diuina certaque fuerit prædictio, res ipsa statim demonstrauit.

strauit. Nam cum Regi ſacris adſtanti myſteriis primum interueniſſet Ignatius cum Cotono, procul conſpectos Rex comitor ſalutauit, demonſtratumque ab Ignatio Cotonum arctiſſimè complexus, paratum eſſe iuſſit in proximam diem Dominicam ad concionem coram ſe habendam. Verſus deinde ad ſtrumoſos ſalutari contactu pro cœleſti Regum Franciæ priuilegio procurandos, Ignatium re peracta & Cotonum ad ſe priuatim in tectam ambulatiunculam aduocauit, mediuſque inter ambos horam bene longam inambulans incredibilia beneuolentiæ ac familiaritatis vtrique argumenta præbuit. Sed vide quàm nuſquam maleuoli Dæmonis ceſſet inuidia. Aggreditur ad extremum Rex narrare, veniſſe ad ſe ea die cum ad ſacra iret myſteria virum neſcio quem tanquam de via paludatum & ocreatum, qui ſecretò ſignificarit adeſſe ſe feſtinanter ex Flandria, vbi ante aliquot dies Ieſuitæ neſcio cui colloquens audierit Regem ea quæ tunc agebatur Sacramenti feſta die ſtrumoſos contacturum, ſed vnum tunc inter eos adfuturum qui mala ipſum manu contingeret. Addidit Rex, gratias ſe illi egiſſe, dixiſſeque in Dei ſe tutela ac præſidio conſtitutum. Hic Ignatius, Nunquam, inquit, fiet Rex maxime vt nouis nos beneuolentiæ ſignis gratia tua complectatur, quin nouæ illicò ſuboriantur calumniæ. Meminiſti ſanè cum apud Mediomatrices clementiſſimis nos oculis reſpexiſti, ſtatim adfuiſſe qui noſtris de Hiſpanici maris Præfecto calumniam cuderet; hæc quoque vt arbitror ob noſtrum nunc ad te aduentum eâdem ſtatim nota percuſſa fuit. Quid verò, inquit Rex, fuit ne illud de Præfecto falſum? Fuit omnino, inquit Ignatius. Nam cum ſponte ille ad nos veniſſet, inurbanitatis nomen noſtri non

veriti

veriti, resalutatum non iere. Gratulor sanè, inquit, atque ego quoque hodiernum nebulonem magni non feci. Quis verò finis erit, inquit Ignatius, si cuiuis quidlibet calumniari impune licebit? Obtestor Rex æquitatem tuam, vt de crimine quæstio habeatur, sciaturque quis illi nostrum, qua in vrbe, quo tempore hæc sit eloquutus, ne vel nostro impune sit si quid peccauit, vel isti si quid est calumniatus. Fiet omninò, inquit Rex, hominemque diligenter perquiri posteà iussit; sed ille ita euaserat vt nullum sui vestigium reliquerit. Sensit hinc aperte Rex optimus criminationis calumniam, ac si quid posteà tentatum id genus, quod toto biennio frequentissimum fuit, id ille vel indignatione fere oppressit si erat publicum, vel silentio & contemptu pressit si erat occultum. Iam cum ab iis qui Regem audierant Cotono in Dominicam sequentem concionem indixisse, non tantùm in aula, sed etiam Parisiis res esset euulgata, autor mihi est Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus vir probitatis atque eruditionis notissimæ, virum aliquem è nominatissimis Academiæ Magistris, qui animo erat ergà Societatem non admodum æquo, Fontem Eblaudi ea cum primis mente profectum, vt concionem illam audiret, scriptoque exciperet. Censuram quandam meditari ac minitari hominem, nemo, qui id tunc scisset, ambigeret. Regem eo quod intercessit triduò longe alia pungebat cura, ne Cotonus quem chariorem habebat quotidie, conceptæ expectationi vulgatæquæ de se famæ non satis in illo Aulæ splendore insolito respondere posset. Tamen vbi Dominica ad fuit dies & Cotonus post meridiem auditus, tantopere superata est Regis aulicorumque omnium expectatio, vt cæteris admiratione defixis,

Rex

Rex incredibili exultans lætitia , quandiu Vespertinæ deinceps decantabantur precationes, nunc vnum nunc alium è Principibus aut Optimatibus rogare non cessaret ; num præclare dixisse visus esset , cunctisque prolixe assentientibus, Cotonum ad se accersitum ita alloqueretur : Fecisti hodie quod nemo vnus antea : cùm enim Aula gustus sit perquam multiplicis , tu tamen apposuisti quod omnibus saperet. At noster ille Parisinus Magister cæteris haud paulo commotior, prope abfuit quin illud de Euangelio diceret: Numquam sic loquutus est homo. Certe reuersus ad suos profiteri non dubitauit Cotonum è concionatoribus quos audisset maximum , eruditissimum ac modestissimum sibi videri,concionemque à se scripto exceptam aliis imitandam atque ad vsum suum excerpendam dedit. Hinc iam noui erga nostros Aulæ totius animi atque oculi. Rosnius qui plus omnibus apud Regem poterat , eadem die ad Vesperam , Episcopi & Optimates continentibus diebus certatim eos conuiuas expetierunt. Quarta post die, quæ Octaua erat celebritatis Eucharistiæ , auditus iterum Cotonus , non alios tantùm , sed se etiam ipsum superasse toti Aulæ est visus. Nec mediocriter posteà se in illum regius effudit amor. Sæpe illi bis ter-ve in die loquutus, nonnunquam etiam inter regiorum hortorum ambulationes repertum, manuque arctissime prehensum plures horas in totius Aulæ fronte familiarissime colloquens circumduxit. Parisios inde repetens , ac breui in oppidum Sancti Germani diuertens, mandauit nostris vt in Aula assidui essent ; trecentosque illis aureos ne expensis grauarentur attribuit. Tertia hic Cotoni concio audita maiore quam vnquam approbatione ; nec dubitauit Rex asserere , si per Regni negotia liceret , vnam

se quotidie horam illi audiendo daturum. Quin etiam aduccatum semel ad se Ebroicensem Episcopum, qui posteà fuit Cardinalis Perronius, disserere de proposita nescio qua materia cum Cotono horam & dimidiam, ambosque intereà capite esse coram se operto, imperauit. Verùm nonnihil frigidæ, huic prosperiorum successum æstui, ne quid noceret affundi oportebat. Id diuina prouidentia fieri passa est per libellum contra nos maledicentissimum, qui Parisiis hoc tempore atque in Aula est euulgatus. At Rex, quem nihil latere poterat, cum id resciisset; nosque nihil queri animaduerteret, vt de calumniis in nos iactatis animum suum celeberrimo loco aperiret, accersiri ad se Franciæ Cancellarium, in maximo Principum atque Optimatum cœtu voluit, coramque omnibus cum exposuisset quantùm sibi eæ scriptiones displicerent, in mandatis dedit vt de libelli illius autore quæstio seuerissima institueretur, typographisque Parisiensibus mandaretur, ne quid tale, si salui esse vellent, typis vulgarent, conuersusque ad nostros quos adesse voluerat: Vobis verò, inquit, ista nihil nocent, nec vestra digna sunt responsione. Fecit Cancellarius Parisiis quo Rex breui adiit, quod iussus erat diligenter, & Rex non diu illic moratus Monticellos abiit. Cœpit Cotonus ab hoc loco, Rege id imperante, Dominicis omnibus ac festis diebus concionari, efflorescente quotidie magis, latiusque peruadente eloquentiæ illius existimatione. Nec tamen deerant qui in tam diuturnis restituendæ Societatis moris, simulate multa fieri suspicarentur; sed Rex omnibus locis animi sui sinceritatem prodere non cessabat. Venit ad eum hoc tempore Matrona e regni primariis vna, quam Rex vt vidit, num Patrem Cotonum audisset concionan-

tem

tem interrogare institit. Illa vulgaribus mota suspicionibus, etsi à nobis non erat aliena, tamen aulica dissimulatione, non ad verba sed ad eum quem suspicabatur Regis animum, respondit: Nihil sibi esse cum hoc hominum genere commercij. Agebam, inquit Rex, antequam illos penitus nossem vt tu nunc agis; posteaquam in mores animumque eorum penetraui, longè alia sum sententia. Nosce tantum illos, & magni absque dubio facies. Nouam mox calumniam ab hæreticis contra Societatem, iactatam de conspiratione Anglicana quam Iesuitæ vestitum dissimulanti tribuere nitebantur, vt restitutionis nostræ consilia aut disiicerent aut pergerent retardare, Rosnius Caluinianus, ex Anglica legatione tunc reuertens, nostris probe purgatis disiecit. Transitum intereà erat in oppidum Villiercosteretz, vbi Carthusianorum monasterium Rex inuisens, præclaros de Societatis nostræ instituto, quod à Cotono doceri se quotidie impense volebat, sermones habuit. Contigit autem vt adstantes aulicos forte interrogaret quid inter Societatis homines aliosque Religiosos interesse censerent? cui nobilis atque ingeniosus iuuenis cum dixisset, Cæteros Religiosos fere animum per corpus, Iesuitas per animum corpus domare, egregiam à Rege laudem retulit, quasi nostrum probe perspexisset institutum. Optauit interim Regina, celeberrimam Sacratissimæ Virginis cui Lætitiæ est appellatio, ædem haud procul sitam visere, nec satis felices peregrinationis suæ euentus credidit nisi Cotonum à Rege piarum illic actionum moderatorem obtineret, obtinuit, cum, vt Rex tunc narrabat, pro maxima se id gratia habituram affirmasset. Inde

 redeuntes

redeuntes Parisij exceperunt, vbi statim Cotoni expetita opera, vt monasterio Montis martyrum, cuius in ædicula Societatis nostræ iacta olim erant fundamenta, restituta recens disciplina eius monitis & cohortationibus sanciretur. Hoc rerum cursu tam prospero, & Hæretici timore nostræ restitutionis angebantur; & suspectæ fidei ac probitatis Catholici inuidia tabescebant. Hinc manauit tenebrosus iterum in nos libellus; sed Cancellarius mandatorum Regis prope memor, librarios tres in carcerem compegit, infelicisque ingenij fœtum suis iterum tenebris damnauit. Quarta hæc proditur in commentariis Ignatij, & literis Cotoni ad fratrem, infrà Iunium ac Iulium mensem suscitata in nos calumnia; sed quæ vt opinor in publicum eruperit. Nam occultatiores alias quinque Regis auribus instillatas intelligitur ex Cotoni quas vidi literis, secundo Augusti datis ad Fratrem, vbi à suo in Aulam accessu ad illam vsque diem nouem in nos calumnias conflatas asseuerat.

Capvt III.

Anno Christi 1603. | Ætatis Cotoni 40.

Restitutio Societatis IESV in Regno Franciæ edicto sancitur.

INeunte Augusto mense cum Sancti Germani oppidum venandi ac rusticandi causa Rex cogitaret, commodum sibi esse censuit eum secessum, vt restitutionis nostræ negotium conficeret, Ignatioque & Cotono venire illò iussis recepit inde se nisi perfecto negotio

negotio non discessurum. Venerunt eodem tempore ad eum literæ Pontificiæ, quibus Clemens VIII. prolixe illi gratulatus humanitatem qua nostros apud Mediomatrices, ac deinceps alibi erat prosequutus, significabat se, ne quid morarum negotio restitutionis nostræ intercederet, omnem quæ opus esset ea in re potestatem transigendi cum ipso attribuisse Apostolico Nuncio in Regno eius versanti, duobusque nostris Patribus quos apud se Rex haberet. Ergo ad decimam diem Augusti quæ Sancto Laurentio est sacra, in regio Consistorio capta fuere de nostra Restitutione consilia, regioque posteà iussu nostri admoniti vt ad Messæum Consistorij consiliariũ audiendæ voluntatis regiæ causa adirunt. Hic illis renũciatum, duorum tantùm hoc tempore Collegiorum restitutionem decretam Diuionensis & Lugdunensis, vnius autem Flexiensis institutionem: cætera priuatæ suæ prouidentiæ Regem reseruasse: simul datæ illis scripto conditiones nonnullæ, sub quibus ratam esse Rex vellet restitutiònem nostram. Missæ anteà fuerant eæ conditiones iussu Regis ad Pontificem, atque ab eo Generali Societatis Præposito traditæ, multis obseptæ difficultatibus deprehendebantur. Itaque orarunt nostri sibi vt liceret nonnullas Regi moderationes suggerere, quæ & Societatis institutum sartum nobis ac tectum conseruarent, & Regiis rationibus nihil officerent. Cum responsum esset, licere, Ignatius, Cotonus, & qui forte interuenerat Crittonus, rem de communi consilio diligenter perpendere, preces Regi, quæ moderationes quas dixi continerent, scripto mox oblatæ. Post hæc intrà octodialem Assumptæ in cœlos Virginis celebritatem, placuit Regi hunc in modum Edicti sui conditiones

tempe

temperare. In primis quod propoſitum erat vt noſtri quotannis apud Magiſtratum fidelitatis ſacramento ſe Regi obligarent; id redactum eò voluit vt ſemel in hoc noſtro regreſſu præſtaretur. Deinde quod dicebatur, noſtros Epiſcopis ſubditos eorumque viſitationi obnoxios fore; Rex qui poſteà intellexiſſet quantum ea res inſtituto Religioſo inferre poſſet detrimenti, ita moderatus eſt; vt pars illa de Viſitatione funditus deleretur, ſubiectio autem ea retineretur quæ inter Religioſos cæteros more antiquo vſurpata nihil eorum obeſſet priuilegiis. Prætereà quod ſtatuendum videbatur, vt qui ſimplicia vota in Societate emiſiſſent, ij perinde ac Profeſſi hæreditates ſuorum adire prohiberentur; Rex huic conditioni additum voluit: ſi qui tamen à Societate poſt illa vota dimitterentur, iis in iura hæreditaria omnia redire poteſtas eſſet. Ad hæc quod addebatur, Societati interdictum fore quidquam abſque Regis facultate de nouo acquirere eorum maximè quæ ad eos pertinuiſſent qui Societatem ingrederentur; id Rex de bonis tantùm immobilibus intelligendum ſanxit. Denique quod erat prætermiſſum, adiectum fuit, vt omnium quæ Societas ante poſſediſſet, illi optimo iure poſſeſſio redintegraretur. Hæc tunc Regi placuere; cumque per eos dies in ſecreto cubiculo ſibi adeſſe noſtros admodum familiariter voluiſſet, inter ſermones de hac noſtra reſtitutione, auſus eſt Ignatius ab eo poſtulare vt Bituricenſe Collegium iis adiiceret quæ reſtituebantur. Et Rex ſuauiſſime os prope ad aurem admouens. *Facite*, inquit, *primum quod ego cupio, nam quod cupieritis ego poſtea faciam.* Ita diſceſſum ex oppido ſancti Germani Rothomagum verſus, quo in itinere cum Marchio Roſnius in oppidum, à quo eſt ipſi nomen, Regem

inuitasset, tanta repente aquarum eluuio domum quæ Regē, Reginam, ac Sororē Regis exceperat inūdauit, vt tecta deserere mediisque in agris diu agere omnes cogerentur. Cotonum eo in periculo crebrò Rex postulauit; sed ille loci exclusus angustiis in oppidum non procul situm demigrarat. Postera die, vt mihi Duvallius retidit, adfuere coram Rege Cotonus & quispiam alius vir scientiæ nomine celebris, & Cotonus de hesternæ eluuionis causis tam disertam disputationem instituit, vt suam in Meteorologia peritiam doctis qui aderant viris præberet suspiciendam. Pupugere laudes approbationesque adstantium eum quem dixi virum, qui nonnulla in Cotoni disputatione carpere exorsus, verba adhibuit acerbitate atque offensione plena. Sed Cotoni tanta fuit in respondendo modestia atque humilitas vt dubium adstantibus relinqueret virtutem prius an scientiam mirarentur. Sane quem ille inter aulæ plausus retineret animi sensum perspici potest ex literis quas ad fratrem quem in mentis suæ arcana omnia admittebat hoc mense Augusto dedit. Non possum, inquit, tibi verbis satis aperire quam me rebus hisce humanis ac visibilibus parum sentiam illigatum, tam enim manifeste earum mihi conspicua est inanitas, vt nihil inter istos honores ac fauores quos maximi Regis beneuolentia mihi conciliat, patienter agere persuadeat nisi quod id Deo placitum esse animaduerto. Addit post pauca. Ea inter cæteras conditione restituti fuimus, vt è nostris vnus concionandi & Regi pro tota Societate satisfaciendi causa assiduus in Aula versetur, vereor ne me hæc conditio diutius hic detineat quàm vellem, sed multò maxima mihi verendi est causa quod mihi Rex dixerit, Velle se per confessionem peccata

apud

apud me ab eo qui primus occurret celebriore festo die deponere. Ego nisi aliud Deus intereà suggerat constitui illum obtestari vt eam ad rem alium quendam è nostris aduocet: quod mihi conducere Societati videatur, vt plures nostrorum hominum degustet: Quanquam diuinæ prouidentiæ me deesse quacumque in re vsus fuerit nulla ratione sim passurus. Intereà Rothomagum Rex attigit ineunte Septembri,& quarta eius mensis die Edictales eius literæ de Restitutione nostra, priuatæque ad Regni Senatus singulos à Cancellario datæ sunt in manus Ignatio, nec multò posteà cum ad Regem adiisset facultatem impetraturus discedendi ab Aula vt muneri suo Regendæ Societatis Prouinciæ præsto esset, mandataque illius de Collegiorum nostrorum restitutione accuraret, dixit se in eius potestate Cotonum relinquere,vt eius opera vteretur pro arbitrio. Fecisse enim incomparabilem eius clementiam ac bonitatem vt non tantùm vnius sed totius etiam Societatis obsequia ad omnem Maiestatis eius nutum perpetuo deuotissima esse tenerentur. Rex in animo sibi esse dixit Societatis operam ad res maximas diuinæque gloriæ plenissimas adhibere, tamque multa addidit tenerrimi amoris indicia vt Ignatio lacrymas prouocarit. Creuit posthæc in dies eius in Cotonum amor, cumque concionum non esset antehac cupidissimus, Cotono nunc instabat assiduus, vt tempus idoneum sine concione nullum abire pateretur, integraque ac noua audiendi siti semper ad illum accedebat. Quid? quod illud quoque tunc instituit vt sibi ad mensam perpetuus ille adesset, doctisque ac piis dissertationibus nunc cum Ebroïcensi Episcopo Perronio, nunc cum Boiatensi Bertrando des Chaux, nunc cum Archiatro suo Andrea

drea Laurentio cibos sibi faceret suauiores, quod disserendi institutum etsi non fuit posteà perpetuum tamen Cotonum sua Rex abesse mensa nunquam est passus.

CAPVT IV.

ANNO CHRISTI 1603. | ÆTATIS COTONI 40.

Plurimas Cotonus post Edictum difficultates Dei ac Regis gratia superat.

NEmini durior atque iniucundior accidit Edicti quo Gallicis reddebamur ciuitatibus nuncius, quàm Caluinianis: ij proinde extrema quasi desperatione in transuersum acti, Cotono quem vnum restitutionis nostræ architectum iactabant, atrox atque auditu horrendum periculum scriptis artificiosissime literis concitarunt. Id verò sic habuit. Rothomago Rex ad Portum Gratiæ quæ vrbs est in Normannico litore, sexta opinor Septembris die contendebat, cum ei à Caluinianis Prouinciæ Narbonensis primæ Ministris literæ in via redditæ, quæ Cotonum eo antea a Rege iussum experimento insigni docuere & nihil adeò fragile ac vitreum esse quam fauorem humanum, qui tunc maxime frangi possit cum splendet maxime, & nihil structa artificiosè calumnia ad fidem faciendam propensius. Etenim cum Regnum ante aliquot annos ciuilibus dissidiis in diuersa traheretur, quidam consecratione sola Episcopus, cuius esset in Oriente Ecclesia, immoderato partium studio grauem in se Regis offensionem commouerat, noxam-

que veritus ſolum exilij cauſa volens verterat, pluresque iam annos apud Allobroges Geneuenſibus vicinos exul degebat. Hunc hominem aſſerebant eæ quas dixi literæ Narbonenſes, auditum ſæpe inter Allobroges Cotoni fidem appellantem, deque illa quiritantem aſſiduè, quòd quæ religioſiſſimè ſe facturum præſens ſibi ſpoponderat, ea, fidei ac religionis immemor tam lente efficeret. Quin etiam dixiſſe illum aliquoties, nonnullam in animo ſuo reſidere ſpem, perfecturum eum quæ iuratus promiſerat circà hæc menſis Septembris tempora; ni faceret, primum ſe fore qui Regi nomen eius deferret, ne hominem apud ſe haberet multò quam ipſe eſſet magis reum. Summa verò eorum quæ ſpopondiſſet Cotonus, ea fuiſſe dicebatur, vt cum primum in Aulam adueniſſet, atque in Regis familiaritatem admiſſus eſſet, veneno alio-ve maleficio eum de medio tollere laboraret. Rex vt eas literas legit, ſibique in memoriam reuocauit inſimulatum olim apud ſe cruentarum eiuſmodi molitionum illum Epiſcopum, commotus eſt nonnihil, cumque alias id genus calumnias ſilentio vt dixi premere ſoleret, non potuit hic ſe continere quin de iſta verba quædam Cotono faciens, adderet ſibi ſuſpicionem eſſe, eum Epiſcopum confiſum iis ſe artibus poſſe reditum ſibi in patriam conficere: & Cotonus tam craſſam columniam deteſtatus non difficile Regis animum tunc pacauit. Sed ecce tibi circà horam cœnæ dum ſol in alterum orbem pronus occideret, cœlum qua Regis tegebat domum nubibus primùm rubore cruentatis, tum in atrum quaſi conopæum quod tenuis candor decuſſaret afformatis, repente circumfundi, cum alibi candida luce reſplenderet. Tunc qui illas de Cotono literas in Aulam attulerant,

Aulicorum

Aulicorum oculos in illud obuertunt ſpectaculum: Rexque ipſe dum ad cœnam tranſiret, diu in illo hæſit attonitus, mox anxio portenti contemplatione animo menſæ aſſedit. Adfuit ſedenti vt ſolebat Cotonus, Regique ipſo aſpectu, literarum quas manè acceperat memoriam innouauit. Ergo animo atque oculis non leuiter conturbatis Cotonum ſedi ſuæ adſtantem interrogat, ſed qua erat prudētia, ſecretò, Nouiſſet-ne antehac illum Epiſcopum? Noui enimuerò (inquit) Cotonus, atque ille ipſe eſt qui me ſacerdotio inaugurauit. Fuit ea reſponſio Regis animo quaſi vnguis vlceri, cum reputaret non eſſe veriſimile hominem qui Patris propemodum loco fuiſſet Cotono, in tam præſens periculum eum fuiſſe vocaturū, ſi grauiſſima quædam cauſa non interceſſiſſet. Itaque commotior iam & ſubiratior, quærens inſtitit, eſſet ne loquutus hac de re cum Villa-regio, cumque ille negaret, vrgere, cur non eſſet loquutus? ſimulque ſine cibo permanere, & lances incertis motibus nunc ad ſe admouere, nunc remouere. Aduertebant perturbationem miniſtri, & taciti obſtupeſcebant. Sed Cotonus, qua erat in precando procliuitate, conceptis ad Deum cuſtodemque Angelum breuiter precibus, ſic ad Regem eſt loquutus. Ego Rex in tua ſum manu; laborem tuum quocumque voles meo ſubleua: Confido enim Deum breui innocentiæ meæ apud te fore aſſertorem. Vix finierat, cum ingreſſi curriculo Aulici nunciant, totam illam portenti cœleſtis molitionem, momento depulſam euanuiſſe. Et Rex vultu ſereniore cibum ſumere eſt adorſus. Scitum eſt poſteà Miniſtrorum Caluini hanc fraudem fuiſſe; Nec ab illius Epiſcopi ore aliud auditum niſi voces miſerationis ſui plenas, quibus intellecta noſtrorum reſtitutio-

ne, ſuam deploraret calamitatem, quaſi ſolus in exilio conſeneſcere cogeretur, quòd Cotonum quempiam, vt nos, nactus non eſſet. Cæterùm illud etiam liquido conſtitit, eum ab anno nonageſimo primo, qui minimum triennio eius exilium anteceſſit, à Cotono conſpectum non fuiſſe, cùm de acceſſu eius in Aulam, nec Rex nec ipſe vel per ſomnium cogitarent. Cum autem eo eſt accerſitus, Auenione & Lugduno Muſſipòntum atque inde Pariſios petens totis regionibus ab Allobrogibus, vbi ille erat, diſſitus, iter compertus eſt peregiſſe. Hæc cum Regi præclare ſatisfacerent; tamen iam ſecures animi portenti illius cœleſtis in eam qua monitus erat diem occurſum demirari non ceſſabat, & Magicæ quidpiam actis potius quam naturæ in eo fuiſſe perdiu poſteà ſuſpicabatur. Enimuero vertit in autorum ſuorum caput tam malicioſum nefariumque machinamentum. Immenſum enim quantum ſibi Rex adiecerit poſteà ad Cotoni ac Societatis amorem, quantumque de illis quidquam deinceps hæreticis hominibus credere exhorruerit. Nihil crebrius ab ore eius tunc auditum quàm illud. Nimis ſero abs ſe amatam Societatem! Sed nimis etiam ſero; temporum hominumque iniuria cognitam! Normanniam interim luſtrabat, nihilque ſibi accidere gratius demonſtrabat, quàm cum vel Optimates vel ciuitates ab eo poſtularent, vt audiendi Cotoni ſibi poteſtas eſſet. Itaque feſtis ac profeſtis diebus concionari illum iubebat, & ſcilicet ſemper ipſe auditor aderat, tantiſque à concione laudibus eum apud illos qui audire optarant cumulabat, vt omnes ſubiret admiratio. Cadomi cùm primarij regionis nobiles illi adeſſent, vnuſque eorum aliquis illi dixiſſet, magno ſe audiendi Cotoni deſiderio teneri. Audies, inquit,

inquit Rex, enimuerò, & ne diu pendeas hac ipſa die, atque vt iam intelligere incipias cum quo tibi homine res ſit futura; enuncia mihi qua de re velis eum concionari. Vrgente Rege propoſuit ille argumentum concionis, non ſane è vulgaribus. Et Rex acceſito coram Cotono mandauit, vt ea die poſt horas quas deſignabat paucas, ad cœtum hunc nobilium qui audire illum cuperet de illo argumento diceret. Cotonus Regem demiſſe veneratus, ad cubiculum ſe recepit, horâque condicta tam diſerte, tamque multis de illo argumento dixit, vt omnes ſtupore compleuerit. Neque verò id ſemel tantùm contigit, ſed cum Rex, vt erat ſagaciſſimus, ſuorum hominum cum primis gnarus, perſpectum haberet, qua hæreticorum quiſque offenſione in Eccleſiam Catholicam maxime detineretur in hæreſi, vt quis alicuius notæ ad illum aduenerat Cotonum ſtatim admonebat, ac ſæpe adeuntem iam ad ſuggeſtum, vt illius hominis cauſa de re hac vel illa dicere non prætermitteret. Nũquam porrò illi concionem indicebat (indicebat verò creberrimè) quin auditores ipſe illi corrogaret: contigitque vt quædam interdum negotia quibuſdam gerenda committeret, recordatuſque è veſtigio Cotonum intereà concionaturum dum ad ea irent, ſiſtere illos, nec ante auditum Cotonum ad negotia ire iuberet. Crebrò illi vox ea in ore fuit: Credo me à Patre Cotono ex animo diligi; ego certe eum ſic diligo, omnibuſque id eſſe certiſſimum volo. Priuatim verò cum illo differens frequenter aiebat: Ego te iam non vt bonum tantùm ac religioſum virum, ſed etiam vt fidiſſimum ſeruum habeo, cum quo omne mihi genus fiduciæ intercedat. Denique cum amori ſuo nullis verbis faceret ſatis, Archiepiſcopo Arelatenſi per

cos

eos dies fato suo defuncto, quòd institutum Societatis nondum plane hac in re perspectum haberet, Cotonum in Archiepiscopatum illum promouere omnino constituit. ;Nec ante ab eo cœpto destitit, quam Cotonus bis aut ter de voto suo,quo dignitates omnes Ecclesiasticas repudiare tenebatur edoctum, rationibus etiam efficacissimis conuicit, id nec ipsi nec sibi nec Societati conducere. Porrò quo ille animo esset inter Principis potentissimi fauores inusitatus audi ex literis hoc tempore ab eo datis ad Fratrem: Hærerem, inquit, anxius, ne à tam insolita Principi Maximi gratia, mea aliquando me indignitas alienaret, si gratiam illam aliunde prodire censerem, quam ab eo qui meos oculis Regis obtegit defectus, meam perpetuò imbecillitatem sustentat,magnasque mihi de misericordia sua quotidie suppeditat expectationes.Inter hæc, noua illi suborta difficultas; sed ab ipso lare. Societatis enim hominibus qui Galli non essent parum iucunde acciderat cum Edictum restitutionis nostræ accepere, quod adiecta esset conditio, ne quis nostrum absque Regis facultate morari in Regno posset qui extra regnum natus esset: nec se continuerant aliqui quominus apud Legatum Franciæ, qui Romæ erat, ea de re expostularent. Quod cum ille paulò vehementius Regi per literas renunciasset, excanduit videlicet Rex apud Cotonum, gratiam suam aliter quam vellet questus acceptam. Sed Cotonus suauitate solita illi narrare exorsus, literis se à præcipuis quibusdam nostris qui Romę essent, accepisse, nec aliud in eis animaduertisse, nisi quòd aliqui eorum dicerent, longissimæ illi restituendi nostris parturationi qua Rex olim dixisset se iam diu laborare, non satis videri partum respondisse.

diſſe. Rex cui erant in numerato acuta dicta. Atqui inquit ſcribito ad illos : *Matrem nondum extinctam eſſe , ſed alios deinceps parere , ſi meriti erunt , poſſe.* Addidit verò, ita regendos eſſe populos , vt quæ cuperent non ſimul omnia obtinerent , quo & egeſtatem ſuam,& benefactorum gratiam diutius vtiliuſque ſentirent.Demiratus prudentiam Cotonus, dixit, ſibi videri Deum hac ipſa ratione ſe gerere ergà eos quos amat maximè:extenſoque paulo longius ſermone Regis animum noſtris plane placauit, cum diceret nunquam illos hanc conditionem grauiter fuiſſe accepturos, ſi non magno fruendi eius obſequiis,ſubditoſque eiuſque iuuandi ſtudio tacti fuiſſent ; nec difficilem eſſe debere veniam vbi amore peccaretur. Vt autem ſe placatum Rex oſtenderet, literas ſtatim iubet perſcribi ad celebres aliquot Societatis noſtræ viros diuerſarum nationum à Cotono indicatos , quibus literis poteſtatem illis faciebat in Regnum ſuum veniendi,& quantum eſſet libitum permanendi. Redierat intereà Pariſios à Normannica luſtratione,compereratque Edictũ reſtitutionis noſtrę à Diuionenſi,Toloſano,& Burdegalenſi Senatu in acta iam receptũ,à Pariſienſi non admitti:Ergo vt illũ ſuauiſſimè ad ſua cõſilia pertraheret, Cotonũ ad Pariſienſes concionaturũ producere ſtatuit,ratus hac quoq; ratione eos poſſe deliniri. Venerant ad eum ſalutandi cauſa Princeps Senatus & Senatores aliquot; mandauit eis vt Edictum admitterent , tum humaniter inuitauit ad audiendum proxima Dominica quæ erat ſecunda Aduentus Cotonum in Eccleſia S.Germani Altiſiodorenſis. Qua die, venit eo Rex , & è Senatu quidam, populique vis tanta, quantam capere templum potuit ampliſſimum, magnamque omnes tum eloquentiæ, tum in primis pietatis

pietatis eius admirationem retulere. Idem factum consequente Dominica. Verùm cum tardius res in Senatu procederent quam placeret, Rex consulto inprimis Cotono de iis quæ obiicerentur Societati, ac perlecta Ludouici Richeomi accurata pro nobis defensione; quod in animo regni negotiis distento miraculo esse potest; bene meditatus res nostras iussit è Senatu aliquos ad se mitti, qui causas edicerent morarum, quæ in admittendo inter acta Edicto nectebantur. Quas cum bene multas & non vulgari eloquentiæ pompa adornatas audisset, tam apposite singulas diluit, vt acumen ingenij eius nationes Europæ omnes, quæ responsa illa in suas linguas transfudere, demirari hactenus non cessent. Peracta defensione, cum Cotonus pedibus eius aduolutus vberes ei gratias totius Societatis nomine habuisset, *Dum vos*, inquit, *obsequio meo militabitis, par est me aduersus omnes vobis esse pro clypeo.* Laborabit posteritas vt quod nunc adiiciam credat, quamuis id in Parisiensi isto orbis theatro infinita hominum multitudo conspexerit Regem Franciæ adeò bello & armis potentem, vt toti Europæ ac prope terrarum orbi terrori esset, adeò prudentem, vt nulla eum æmulorum Principum consilia fugerent, cum à prima infantia ex Caluini Ministrorum ore nihil aliud nisi Religiosorum hominum, atque in primis Societatis nostræ odium didicisset; Tamen humilem è Societate nostra hominem regio in curru sublimem è palatio eduxisse, ac per celeberrima vrbis loca circumuectum ad primarij templi ostium inter stipatorum spicula & tympanorum sonitus adduxisse, manuque sua prehensum suggesto vt concionaretur admonuisse. Hunc quasi triumphum Cotono ad diem S. Thomæ Apostoli, quæ tertia fuit illi concio

Parisiis

Parisiis, Rex adornauit. Et ille postquam nonnihil à pudore ac verecundia qua ex indignitatis suæ cogitatione inter hos honores prope obruebatur, animum recepit, orsus dicere ad illa verba Ioannis, Stetit in medio, & dixit Pax vobis: Christi proprium esse locum medium; siue in Trinitate vbi est inter tres secundus; siue in Natiuitate in medio duorum animalium agnitus; siue in morte operatus salutem in medio terræ; siue in Ecclesia terrestri, medium hominis idest cor sibi deposcens; siue in Cœlesti medius inter Deum & homines intercedens. Vertit deinde ad Regem sermonem, demonstrans eum, vt Christi imaginem, non tantum id hactenus egisse vt sempiternam in corde Societatis sibi sedem, per infinita benefacta poneret, sed etiam ita illam vicissim in medio sui collocasse, vt & in hoc Regni corde Parisiensi ciuitate, & in Ciuitatis corde Ecclesia primaria voluerit conspicuam apparere. Qua de re cùm immensas Deo atque ipsi gratias habuisset, perpetuáque illi Societatis obsequia atque apud Deum vota despondisset, & Regem & Parisienses qui aderant incredibili doctrinæ ac modestiæ suæ exemplo recreatos dimisit. Vt Rex qui gratulantis populi voces in digressu iucundissime audiebat, negaret Aulicis deinceps Parisios sine nobis esse posse.

Capvt V.

Anno Christi 1604. Ætatis Cotoni 41.

Edictum Restitutionis nostræ à Senatu Parisiensi admittitur, & Cotonus inter egregios labores pro Ecclesia à Sicario vulneratur periculosè.

Altera die post initum annum sexcentesimum quartum perspecta Regis præcisa restituendi nostri voluntate, Senatus Parisiensis Edictum prout ab illo erat propositum in Acta retulit:rebusque Societatis iam in tuto positis, conuertit Cotonus cogitationes omnes eò vt Ecclesiæ quam vtilissima esset sua in Aulâ commoratio. Præclare ergo vsus in primis Regis beneuolentia, nullum illi residere in animo patiebatur sensum de Ecclesia qui dignitati ac sanctitati eius minus videretur consentaneus. Sed quoties se occasio dederat, vt vel de sacris ritibus, vel de ratione regendæ hominum conscientiæ quibus Ecclesia vtitur, loqui posset, argumenta habebat ad manum tam multa ad hæc propugnanda, eaque tam valide ac diserte proponebat, vt & Aulicorum, qui iis rebus obloqui prius non verebantur, ora penitus obstrueret, & Regis animo non paruam earum venerationem adiiceret. Itaque adesse eum sibi ad Missam, sacraque omnia officia perpetuò voluit, vt eorum quæ fierent aut spōte aut iussus rationem explicaret. Eratque is inter ista Regis sensus, vt auditi sint Caluiniani qui dicerent, eùm nisi à Cotono caueret tandem

fore

fore superstitiosum. Erat ingens Regis studium post suum ad Ecclesiam reditum omnes Caluinianos mitissima ratione, id est disputatione ad sui imitationem pelliciendi: sed studio progressus deerant, quod non semper essent ad manum qui illud promouerent. Posteaquam Cotonum habuit, nullum fere alicuius notæ Caluianum ad se admisit quin ei ante digressum, vt illum audiret, cumque eo priuatim colloqueretur, imperarit. Magnus Cotono labor; sed gratus iuxta ac fructuosus: nam hoc tempore præter minoris notæ aliquot, Præfectus vrbis Laudunensis, Domina de Font-le-bon, & secretorum Aulæ particeps Vir spectabilis Dominus de Lomenie labore isto quæsiti Ecclesiæ. Verùm dum ista maxime illi ex animi sententia fluunt, incidit casus qui non tantùm gaudia [de illo nostra mœrore maximo interpellaret, sed rerum etiam nostrarum summam in periculum non leue vocaret. Quippe ad diem decimam tertiam Ianuarij primis iam tenebris cœlum obducentibus cum domum Cotonus in cōmodata rheda reuerteretur, audacissimus sicarius, dæmonibus an hominibus instigantibus incertum, ne destinatum facinus minus destinatò perpetraret, capite in rhedam qua ille solus cum socio vehebatur, immisso, locum sibi sedis eius notauit, cumque se post rhedam reduxisset, atque in eam à tergo insiliisset, adactum per vela gladium in Cotoni humerum qua collum excipit profunde immersit versus clauiculas pectoris, haud procul ab asperæ arteriæ regione. Demisit sine voce caput Cotonus, rogantique socio vt haberet, sinum tantum calido iam sanguine redundantem manu vt tractaret placidissime iussit, Vrgebat auriga equos impetu maximo, intendentes se magis ac magis tenebras euitare studens,

nec ante potuit cursus inhiberi rhedæ, quàm multum sanguinis excussum, multumque vulneri esset incommodatum. Ac perierat sane nobis vir maximus; nisi quæ Dei benignitas fuit salutis admirabiliter maioribus venis, arteriis, ac neruis omnibus, medius inter ista delapsus gladius viam sibi fecisset plaga luculenta magis quàm letifera. Quod profectò miraculi expers non fuisse docere potest hæc narratio. Vacabat enim quo tempore hæc Parisiis gerebantur orationi apud Valentiam Segalaunorum Matrona cuius se precibus commendatissimum esse Cotonus crebro optarat. Ea breui postea retulit obiectum tum sibi cruentum facinoris illius spectaculum: Beatamque Dei parentem, quæ sicarij manum nunc in guttur, nunc in iugulum intentam sua manu auerteret. Mirus fuit in Aula animorum motus, posteaquam de illo vulnere est inauditum. Catholici iuxta ac Hæretici proceres hinc ad Regem, inde ad Cotonum vndatim concurrere, quod alterum animo, alterum corpore vulneratum censerent. Qui ad Regem ibant absque vllo fidei & credulitatis discrimine Cotoni laudibus cuncta complere, Cotoni visendi causa tam multi adire, vt Rex ipse, veritus ne densa illa interpellantium turba vulneri esset importuna, autoritatem suam interponendam censuerit ne quis ad eum molestus adiret. Cæterùm non ipse tantùm, sed & Regina coniux Regios ad eum medicos, chirurgos, pharmacopolas submisere, iussos vt regia in eum medicamenta impenderent, nec alios quàm qui à Regia quotidie mittebantur cibos coram eo inferri paterentur. Quanta in ægrotantem non priuatorum tantùm, sed etiam Collegiorum ac cœtuum sacrorum, & popularium beneuolentia ese prodiderit, Rex ipse illustri sententia significauit

cum

cum diceret. Optandum prope fuisse hoc vulnus (si periculum Cotoni & sicarij facinus abfuissent) vt & ipse intelligeret quantum ab hominibus, homines quantum ab ipso Cotonus amaretur. Porrò indignitatem facinoris tam grauiter tulit vt in sicarij inquisitionem proposito iis qui nomen eius deferrent grandi pręmio, multa quæsitorum capitalium & satellitum genera per dies multos habuerit occupata, nec quidquam illi magis doluerit quam cum omnis labor frustrà fuit. Scripsere posteà, qui è circumforaneorum hominum sermonibus historias sæpe consarcinant, fabulosissimam fabulam; authorem facinoris fuisse pedissequum iuuenem, quòd paucis ante diebus nonnullos id genus pedissequos conuitia in Cotonum iactantes flagris conscindi Rex iussisset. Audiuimus tamen sæpius Cotonum negantem vllam vnquam Regiæ id genus iussionis aut vmbram fuisse aut vestigiũ. Caluiniani tunc atque hoc etiam tempore multum onerati hominum proborum suspicionibus. nihil tamen est certius, quàm autorem facinoris siue sua siue aliena excitum improbitate, adhuc in obscuro esse. At Cotonus diu ac multum à Iudicibus Regio nomine interrogatus de sua hac in re suspicione, illud vnum respondit rogare se Regem demississime vt misero homini parceretur, nec inquisitio progrederetur vlterius. Vultus illi serenitas, verborum comitas, & animi quies ea semper fuit decumbenti ex vulnere, quæ sano. Et quanquam Regia admisit medicamenta, tamen ad cœlestia cum primis accurrit. Cuipiam enim de cuius pietate præclare iudicabat, negotium dedit vt ad Sanctam Genouefam nouendialia sacra sua causa fieri curaret. Fecitque Dei benignitas vt octaua die plane sanus, nona sacrum ipse eodem

loco

loco faceret, confeſſiones quorumdam exciperet, plyribuſque illo accurrentibus ſacras epulas diſtribueret. Decimo verò tertio die à vulnere ſuggeſtum maiore multò quàm aliàs vnquam hominum gratia in Sancti Germani templo ampliſſimo cum ſubiiſſet, voce fuit nihilo quàm ante vulnus infirmiore. Quadragenarij ſubinde Iuiunij conciones in Palatij aula habere eſt exorſus, quod illi fuit incredibili cum fructu multorum hominum, ſed etiam abſque vlla Regis ſolertiſſimi quandiu vixit vllo in verbo offenſione, immo & abſque Aulicorum, diuina parum plerumque ex animo guſtantium, faſtidio aut ſatietate. Voluptas Regis erat tum concionum ſententias memoria condere, tum data occaſione eas apud Optimates refricare. Quod verò Cotonus per hęc initia, ſermonis interdum aulici gratiam ac puritatem non ſatis exprimeret, Rex fauore ac beneuolentia inaudita, vt eum omnibus redderet quam gratiſſimum, illud ſibi ſuſceperat negotij, vt non ſolùm de geſtibus, ſi qui nonnihil inconditi viderentur; ſed etiam de vocibus, quæ illi præter morem loquentium emendate exciderent, mox à concione illum ſecreto commonefaceret. Iam tum magna apparuit ex eius concionibus aaimorum in Aula mutatio. Matronæ ſacramenta frequentius adire, libellis piis aſſuſcere, veſtium luxu & aulæ vitiis impenſius temperare. Viri qui hæreſim imbiberant, modeſtius de Catholica Religione loqui, colloquia Cotoni expetere, atque ſi non expeterent ab ipſo Rege Cotono in manus tradi. Qui Catholici ſemper fuerant de Eccleſiæ incrementis gaudio triumphare, ad Cotonum hæreticos pellicere, mores ne hereticis offenſioni eſſent ſtudioſe caſtigare Societatis nomen, dicteriis anteà, ludibriis immo & execrationibus

nibus expositum, honori deinceps ac venerationi esse. Nemo enim iã existimabat vllas contra nomen nostrũ voces Regi posse non ingratas accidere, qui sciiset Nũ tã sæpe eos qui Societati obloquerentur verbis castigasse. Et verò Cotonus non ergà se magis quàm erga quẽlibet è Societate bene animatum Regem videre delectabatur. Vt quisque nostrorũ Parisios aduenerat ad Regẽ ducebat salutandum. Quod tũ faciebat lubentissime cum is qui aduenerat in auocandis ab Hæresi hominibus operam collocarat. Nullum enim Regi festiuius acroama obtingere solere sciabat quàm de iis qui Hæresim abiudicassent. Neque verò hanc apud eum gratiam indigenæ tantum inierant. Duos enim hoc ipso anno Lusitanos ab India reduces, aliosque in posterum non paucos Regi sistere studuit. Is verò sancte testatus æquam sibi ergà omnes qui Societatis nomine fruerentur charitatem esse, magna omnes dignatione ac comitate excepit. Cæterùm aulicis hisce concionibus defunctus Cotonus, quiescere tamen & vocem à suggesto abstinere non est permissus, certatim ad Regem adeuntibus Ecclesiarum Parisiensium rectoribus, ac demissè supplicantibus vt plebés suas eius voce recreari atque ad virtutem excitari pateretur. Quam postulationem Rex non solum benigna voluntate; sed non rarò etiam præsentia sua est prosequutus. Crescebant his rebus & Parisiensium in nos studia, & benignissimi Regis Senatusque amplissimi beneficia. Ille enim hoc anno iam adulto, Domum Professorum Parisiensem non tantùm fiscali omni programmate absoluit; sed etiam inquilinis opificibus Regis liberam nobis attribuit, addito mille ducentorum aureorum ad sarta tecta suppellectilemque restituendam dono. Dedit hoc Cotoni precibus, qui

captata

captata occasione aduentus P. Ioannis Gonterij quem ad Parisienses conciones Rex iusserat accersiri, Religiosum ei domicilium, quod ante nostrum fuerat, impetrauit. At Senatus Amplissimus nos in bonorum quæ extarent possessionem quacumque illi iurisdictio est honorifico Senatusconsulto reduxit. Sed nulla in re Cotoni opera latius se extendit; quàm in Collegiis Societati toto Regno vel restituendis vel constituendis. Redhibitum fuerat anno superiore Diuionense; sed cum nonnihil de mercedibus ab Scholasticis exigendis ciues tentarent, quod Societatis instituto non congrueret, id Regiis literis Cotonus prohiberi curauit; ne pecuniis aucti religiosæ integritatis imminueremur diuitiis. Hoc verò anno cum Christophorus Baltazar Lugdunensi præpositus nostrorum Prouinciæ, cum ciuitate Lugdunensi depactus esset vt Magistrorum stipendio pro pristinis libris octingentis sena librarum millia attribuerentur, Cotonus vt id Rex, cuius tum interesat maxime, probaret, lubenterquescisceret, impetrauit. Tunc quoque Billomensi Collegio redditi nostri, & Cotono satagente Rex literas ad Abbatem S. Laurentij Blesas dedit, vt illi Collegio Ecclesiasticum beneficiū iuris sui pateretur attribui. Qanquam id non ante annum sequentem Cotono Blesis remsua vrgente præsentia ac cura sit confectum. Rothomagensibus, Biturigibus & Rhedonibushoc item anno Collegia nostra restituit Ignatius Armandus Franciæ Prouinciæ præpositus; Cotoni verò opera fuit vt diplomata Regia omnibus, & Rothomagensi priuatim Collegio ad millia octo librarum de Regia pecunia obtineret. Sed palmaris fuit Flexiensis Collegij tunc suscepta constitutio, in qua cum essent Regis in hoc genere deliciæ, incredibile

est

est quàm multa ille quotidie cum Cotono ad eius incrementum ac splendorem vel designaret, vel susciperet. Basilicam in qua parens eius tanta fuerat prole fœcundata, nostrum voluit esse domicilium, lucum antiquitate arborum spectabilem, hortumque peramœnum adiecit, stipendia iusta breui assignauit, nec vllæ erant tam humiles de commodis illius Collegij cogitationes, quas ille se indignas censeret, nec vllæ tam excelsæ quas sibi aliquandò suscipiẽdas non putaret. Cum in his versaretur Societatis nostræ gratia Cotoni industria, operam tamen & amorem ad alios Ordines Religiosos late extendebat; cuius rei illustre illi testimonium hoc anno præbuit Carthusiensium Generalis Prior, his ad eum literis, in Ordinis sui Comitiis perscriptis.

Frater Bruno humilis Prior Maioris Carthusiæ totiusque Sacri Carthusiensis Ordinis Generalis Minister, Admodum R. In Christo Patri Petro Cotono Doctori Theologo meritissimo, Regis Concionatori longe facundissimo, è Societate IESV salutem, & charismatum omnium plenitudinem ab eodem Domino IESV Christo.

Illustria veri amoris & charitatis testimonia, insinibus pietate ac celebri doctrina ornatis viris vestri similibus iure deberi agnoscimus. Vnde fit vt quanti vestram dilectionem faciamus ostendere, simulque eximio illi affectui & beneficentiæ singulari, qua pietas vestra S. hunc nostrum Ordinem eiusque personas prosequitur, pari gratitudine & officio respondere cupientes, harum tenore, præter eam, quæ in vi-

ta & in morte est inter hunc prædictum Ordinem, & S. vestram Societatem bonorum operum omnium communicationem & participationem; eidem piæ vestræ dilectionis concedamus Anniuersarium perpetuum in Calendariis omnium domorum huius nostri Ordinis, scribendum sub die obitus vestri: quem post longa Religiosæ vitæ demensa spatia felicem & pretiosum faciat in conspectu suo omnipotens Deus. Cuius miseratio omnes nos tandem in cœlestis sui Regni consortio clementer recipere dignetur. Amen.

In quorum prædictorum fidem his subscrisimus, & Ordinis huius sigillum per scribam nostrum & Capituli nostri Generalis apponendum curauimus. Datum Carthusiæ sub Capitularibus nostris negotiis anno millesimo sexcentesimo quarto.

Sigillentur.

Frater Bruno Prior Carthusiæ.

Locus Sigilli.

F. Ioannes Baillet scriba Capituli Generalis.

Concionatoris tantum, non etiam Confessarij Regij nomen Cotono tribuunt hæ literæ, quòd nondum satis vulgatum esset Regem hanc etiam operam ab eo expetiisse. Sed vno fere ante has literas mense particulari primùm confessione expiare apud illum animum voluit. Et Cotonus sanctitatis Sacramenti, dignitatis eius qui tanto in tribunali consederit, & demissionis ei, qui peccata velit eluere, consentaneæ non immemor, nitentem genibus Regem sedens cœpit audire; etsi dudum ille aliter ab aliis Sacerdotibus

tibus esset assuefactus. Quam rem adeò non secus, quam par erat, Rex est interpretatus, vt eam potius magna cum animi æquitate & Cotoni laude apud viros principes commendaret. Dehinc pridie Resurrectionis Christi quæ tunc dies fuit decima septima Aprilis, repetenti à prima pueritia omnes vitæ suæ noxas per aliquot horas, quamuis nec continuas; nec eodem quo solebat aliàs corporis situ operam dedit: Rege vt in re nunquam ab se prius vsurpata suauissimos animo pietatis salutarisque doloris sensus hauriente.

CAPVT VI.

ANNO CHRISTI 1605. | ÆTATIS COTONI 45.

Cotoni in Aula Religio, & contentiones nonnullæ eius pro se à Deo fortunatæ.

SExcentesimus quintus Christi post millesimum, & Cotoni quadragesimus secundus annus est sequutus, quo pietas ac Religio eius (vt ab eo quod potissimum est ordiar) cùm nostris omnibus semper fuisset perspectissima, tùm aulicis, immo Regno toti cœpit esse testatissima. Turbis enim adeuntium, quas vel insignis eius apud Regem gratia, vel incensum commodandi omnibus studium acciuerat, cum perpetuò obsideretur; tamen nulli non erat persuasum frustrà illum, aut primis diei horis, aut iis quæ quotidianum sacrum præibant & sequebantur, conueniri. Adeo enim religiose primam diei horam orationi, matutinamque alteram Ecclesiastico officio in aulico fere sacello genu nixus, ac plusquàm tertiam sacrificio

 impendebat

impendebat, vt à nemine se tunc sineret interpellari. Quod institutum eum amici quidam ac graues viri non satis viderentur probare, quòd dicerent perire interdum hac Religione momenta earum rerum gerendarum, quibus plus plerumque gratiæ, quàm orationibus à Deo posset iniri. Vellem, inquit Cotonus, quod vultis, si mihi persuaderi posset aut res vllas Deo gratas sine diuina ope geri, aut diuinam opem alia melius ratione prouocari quam oratione & sacrificio posse. Itaque negabat vllum efficacius magnæ rei gerendæ momentum esse quàm quo Dei auxilium esset rite procuratum. Enimverò ita aulæ toti suum probauit institutum, vt & rarus ei deinceps per eas diei horas interpellator adueniret, & Rex pietatem hanc eius commendaret, atque ab aliis commendari periucunde audiret. Hinc illi accessit studium sacella aulica ad Fontem Eblaudi, & oppidum Sancti Germani, præclaris operibus exornandi, quorum vel arbitrum, vel approbatorem Cotonum habere delectabatur. Nec vnquam illi Cotonus vacuas preces obtulit, cum pro restituendis quæ hæresis diruerat aut deformarat, vel de nouo instituendis eorum qui quotidie succrescebant Religiosorum hominum templis, supplicaret. Quin & Martiis nonnunquã spiritibus positis dies ipse aliquos negotiis ita tum subduxit vt nulla de re nisi de pietate mentionem admitteret. Nam huius anni Calendis Ianuariis indultam à Pontificibus veniam iis qui Societatis Ecclesias adeant, ita consequi studuit, vt horis matutinis confitendo, diuinis audiendis participandisque mysteriis absumptis, pomeridianas etiam aliquot in templo nostro transigeret, indictas à Pontificibus precationes, aliaque pietatis officia doceri se postularet,

eáque

eáque omnia in populi numerosissimi conspectu religiose perficeret. Cumulabat nos inter hæc, nouis quotidie beneficiis Rex benignissimus, siue Claromontanis ædibus, quas inquilini & Bibliotheca Regia occuparant, nobis libere asserendis, siue Societatis fama quibuscumque rebus poterat augenda ac protegenda. Quo in genere fuit Pyramidis in scelestissimi parricidij vindictam meritò positæ; sed venenatis in Societatem conuitiis ac calumniis immerito inscriptæ, euersio. Cùm enim egissent nostri cum eo quod æquissimum erat, vt qui causam Societatis nostræ à detestabilis parricidæ causa seiunctissimam esse intellexisset, is ne pateretur contumeliosis tabulis nos in criminis communitatem vocari; sed interposita autoritate sua faceret vt veteribus tabulis nouæ substituerentur, quæ & parricidium vehementius detestarentur si placeret, & innocentium tamen iniuria abstinerent. Erat Rex adeò ad clementiam non factus sed natus, omnesque offensionum fibras inter subditos suos ita euulsas cupiebat, vt Prætori vrbano breui negotium dederit pyramidem totam à fundamentis conuellendi, ne quod superesset alienationis animorum vestigium. Cúmque aliqui suggererent de nocte rem suscipiendam, ne plebis tumultu disturbaretur, Rex qui & sua nosset tempora, & populi ergà nos animum, luce palam suscipi mandauit. Idque ita confectum est, vt nec commouere se quisquam, nec hiscere contra sit visus. Fuit hæc nostris, & cum primis Cotono grauissima, ac complurium quæ deinde sequutæ, contentionum origo maxima. Sed ab iis quæ Cotono priuatim fuere suscipiendæ narratio est auspicanda. Venerat in Galliam ante annos aliquot Ambrosiani Ordinis Præpositus Generalis P. Michaël

Medio

Mediolanensis, vt Lotaringo maleficis carminibus propè contabescenti nonnullam, provt posse credebatur, faceret medicinam. Eum à Regina matronæ nobilis suasu quæ se fascino laborare putaret Parisios accersitum cum vulgò esset compertum, Adriana puella Picarda annos nata citciter sex & viginti, quæ à prima pueritia Dæmonem iniquum possessorem infestumque exagitatorem sentiebat, illi sistitur, nec paucis diebus sacris exorcismis procuratur. Sed illo non diu posteà ob muneris sui negotia in Italiam repente reuocato, Regina à puellæ parentibus demisse rogata, vti ne illam infelicem & derelictam sine subsidio esse pateretur in eo erat vt à Religiosis Ordinibus exorcistam sibi expeteret; cum ad aram B. Virginis apud S. Victorem animaduertit ab infami spiritu Cotonum, quem sibi præsto esse iusserat ad sacrum, ita vitari ac timeri, vt puellæ corpus coram illo miserabiliter concuteret, ac viri virtutem non sustinens, omnia ageret vt eum de conspectu subduceret. Rata enim tum non alio sibi opus Exorcista, vrgere eum imperiis cœpit vt rem susciperet, eoque multa excusante, quod id viro publicè laboranti operosum, quod homini de Societate, cuius in actiones omnes adeo curiose inquiratur periculosum, quòd denique Religioso apud Episcopos inuidiosum. Illa vt excusationes quas respuere constituerat etiam præcluderet, Parisiensi Episcopo dat in mandatis; vti Cotonum imperio quantum posset, adigeret ad hoc officium miseræ puellæ non denegandum. Non potuit par esse tot imperiorum inuidiæ tolerandæ Cotonus; sed posteaquam apud se reputauit, siue diuini esset consilij vt ea puella Dæmonem nunc exueret, siue non esset, tamen hominibus à fide Catholica deuiis

non

non posse non plurimum prodesse,si & eam certo à Dæmone insessam, & Ecclesiæ imperiis subesse Dæmonem,perspicuè intelligerent, hanc quoque operam ratus non alienam ab eo quo tenebatur studio hæreticos in viam reducendi, negotium est aggressus. Ergo cum Principes atque Illustres viri alij & alij spectatum auditumque venirent, vt ipsorum testimonio, hæreticis, atque importuno cuidam hominum generi os oppримeret, qui hisce in rebus sapere se demum putant, cum id quod cæteris est apertum sibi solis obscurum finxerint, noster Exorcista Dæmonem in puella delitescentem variis rationibus in apertum producebat. Nam & difficiles impeditasque quæstiones clare atque expedite respondendo dissoluere, latinè atque interdum græcè disserere, occulte ab aliis designata aperire, horrendos Tartari cruciatus verbis ab ipsa ductis experientia exquisite depingere audiebatur. Quarum rerum ne vmbra quidem puellæ illi per naturam venire in mentem potuisset. Hæc verò extorquebant à Dæmonibus, qui tres quatuor-ve puellam inhabitare sunt visi, tum Execrationes ac deuotiones à Cotonn in eos pro sacerdotali autoritate vibratæ, tum adiurationes per celeberrima quæque fidei Catholicæ mysteria ac dogmata, quarum mihi etiamnum est ad manum exemplar, tum suauissimæ ad Deum precationes quas abs se prius conceptas, energumenam voce insequi ac referre cogebat. Sane testatur ad hanc diem vir optimus Georgius Frogerus Doctor Sorbonicus, tantam Cotono in imperando tranquillitatem, tantam in parendo eius imperiis Dæmoni fuisse celeritatem, vt eorum qui puellæ opitulati erant, nemo vel tam facile vel tam prompte quæ voluit obtinuerit. Adfuit Exorcismo Comes Lauallensis,

uallensis,ad fidem Catholicam ab hæresi tum primum Cotoni institutione traductus, tantumque ex eo veri in fide roboris sinceræque de Ecclesiæ Catholicæ veritate ac potestate existimationis hausit, vt ad Ecclesiam armis,quod breuì postea fecit, contra Infideles propugnandam plus illi tunc oculi quàm aures anteà constantis animi contulisse sint visi. Verum vt rebus præclarissimis semper adnascitur discrimen; ita hinc molestissima Cotono nata contentio; Cùm enim ille ab Academico homine libros nescio quos Theologicos mutuatus,schedulam intra illos non de iis quæ vel quæsisset vel quæsiturus à Dæmone esset,sed de iis quæ ex Theologiæ scitis quæri liceret conscriptam, per obliuionem dum libros restitueret, dimisisset; eam homo ille satis perfidiose ad Hæreticos detulit. nec alio opus fuit inuitamento tum hisce Ecclesiæ professis hostibus;tum iis quos vetustum Societatis odium & recens Cotoni apud Regem gratia medullitus adurebat, vt fluctus contra eum maximos excitarent. Non enim iam ea schedula, sed portentosi libelli in vulgus disseminati, qui curiosissima de Regno, de Regis filiisque eius vita,de bello ac pace aliisque id genus scire ope Dæmonis Cotonum voluisse: atque hanc videlicet artem esse, qua Regis aucuperatur gratiam, familiaritatem cum Dæmone, impudentissime mentirentur. Ausus etiam Caluinianus quidam Minister polliceri,se in eas quæstiones iustum breuì commentarium confecturum. Sed Rex tribus maxime rationibus totum criminationis machinamentum breui disiecit.Nam in primis Cotoni chirographum quo iactatæ illæ quæstiones continerentur proferri sibi ab eo qui primus rem detulerat, imperauit, cui imperio ille nunquam satisfacere potuit. Deinde cum

cum aduertisset quæstionum illarum numerum in dies augescere, & libellorum quæ circumferebantur exemplaria inter se esse dissimillima, Optimati Caluiniano cuius in sinu deposita primum fuerat calumnia, dixit. Hanc sane Monpenseriæ Bibliothecam sibi videri: Et erat Bibliotheca illa, liber, quem Matrona Princeps pollicita se edituram, cum diutissime frustrata esset, causam dederat aulicis quidquid in mentem vani venisset ac ridiculi, Bibliothecæ illi affingendi. Denique, vt malo quod leuiorem medicinam non admitteret acerbiore chirurgia mederetur, has literas Cotoni innocentiæ vindices Prætori vrbano Parisios mittit. Renunciatum est mihi, Prætor Myro, chartulas quasdam in vulgus sparsas, quibus comprehendantur Quæstiones nescio quæ Patri Cotono malitiose adscriptæ; nec deesse qui eas typis edere, commentariis atque interpretationibus quas maleuolentia suggeret auctas meditentur. Hoc ergo scripto præcise atque enixe tibi impero, tum Patris Cotoni gratia quem mea sum dignatus amicitia, tum ad falsos rumores ac calumnias inter subditos meos opprimendas, vti omni opere chartulas illas aboleri cures, typis eas vulgari prohibeas, atque si iam forte essent euulgatæ seuere in Typographum animaduertas, omniaque exemplaria subducas. Deus te seruet, Prætor Myro, ex Fonte-Eblaudi decimo Septembris anno millesimo sexcētesimo quinto. Post hæc Aureliæ ac Lemouicibus cū Dux Sullius & Trimollia primaria fœmina Caluiniani ambo hanc Regi calumniā refricarent dentato illos dicto repressit. Hac videlicet, inquit, Religio est, Ecclesiæ difficile, futili calūniæ facilè fidē habere? Ita tunc oppressa maledicentiā: & Adriana, cum ei aliquanto melius esset, quanquam non plane libera, domum est remissa. Verum

non hoc fine quieuit Dæmon improbus, qui per illius os dira Cotono frequenter erat minitatus. Nam tentata hoc modo Regis in cũ gratia, aliorum etiam plurium offensionem per procacissimam mulierem conatus est prouocare. Cuius rei hunc fere in modum factus est conscius. Venerat in Basilicæ Borboniæ sacellum, vt Regi sacra audienti mysteria præsto esset, & Rex statim ad se accersitum orsus est interrogare. Num quendam Episcopum, quem nominabat, domum salutatum adiisset? Num in eius cubiculum ac musęum ingressus in cuiuspiam colloquium venisset? Cotonus negare simpliciter; quòd Episcopum illum in Italia esse credidisset, nec de eius reditu quidquam hactenus audiisset, ad eum tamen si Regi placeret se confestim aditurum. Nunquid vero, inquit Rex, custodi domus eius fœminæ confitenti aures præbuisti? Ego vero, ait Cotonus, Episcopum illum qui Religiosus sit cum Fratribus suis habitare censui, de illa fœmina quid rei sit plane ignoro. Quid rei sit, addit Rex, ignoras Cotone, & mihi persuades; sed fallacia est ac dolus in te fabricatus, quem mox addisces. Finitis mysteriis eum illo ducit vbi addisceret, perditam fœminam, custodem ædium illius Episcopi quem Rex nominarat, iactasse apud aliquos Cotonum ad se absente Episcopo domum venisse, Bibliothecam adire optasse, atque illic curiose ab ipsa disquisisse cuinam vsui esset Episcopo, cúmque illa præfectam se diceret domus tantum custodiæ, atque ille secretiori cuidam vsui ipsam adhiberi contenderet, pollicitam vt suspicione omni eum liberaret, se peccata sua in æde S. Germani certa die per confessionem apud illum depositurам, dicta die deposuisse: cumque illi castimoniam Episcopi & suam non persuaderet, de con-

spectu

ſpectu eius iratam abſceſſiſſe. Hæc ſumma fuit fabulæ:quam vt Cotonus audiit, Regi dixit; Athanaſio olim non diſſimilem machinam fuiſſe intentatam, vt non tantum in odium, quòd hic agebatur, ſed etiam in publicam infamiam adduceretur; poſſe, ſi videretur, procacem mulierem eadem nunc ratione conuinci qua illa olim Athanaſij calumniatrix eſt deprehenſa. Rex qui ab ipſis Cotoni primis reſponſionibus calumniam ei fabricatam perſpexerat, vt alienum etiam odium ac ſuſpiciones ab illo amoliretur, probauit quod offerebatur. Itaque accerſitis in ſecretius cubiculum iis qui rem norant, adeſſe iubet mulierem; alioque ex cubiculo primum Ignatium Armandum, tùm Carolum à Turri, poſtea Petrum Arnaudum, qui erant noſtri omnes, extremò Cotonum producit, quæritque ex illa coram omnibus, quis horum ad eius domum veniſſet? Illa ambigua inter Carolum à Turri nigro hominem capillo, Cotonum flauo, aperte prodidit fallaciam ſuam. Sed vt penitus redargueretur, quæſiuit ex ea Cotonus, qua die domi eſſet ab eo quem accuſaret conuenta, illaque reſpondente, altero id die à feſto Aſſumptæ Virginis factum; atqui, inquit, Rex, & tunc & octiduo poſtea Pariſiis Cotonus abfuit, mecum in oppido S. Germani totis illis diebus verſatus. Additæ interrogationes aliæ: quibus illa vrgeri ſe ac plane conuinci cum ſentiret ad lacrymas confugit. Et Rex multa minitatus iuſſam faceſſere, ſupplicio graui deſtinabat, niſi eum Cotoni preces ac manſuetudo ad veniam poſtea deflexiſſent. Dæmones ſoli an etiam homines hanc ipſi calumniatricem ſuſcitaſſent ignorauit in poſterum Cotonus, nec ſane vt ſciret laborauit. Notatus enim eſt ab iis qui ipſum penitus nouerant non alia inter ſacra & orationem vul-

tus atque animi ſerenitate ac tranquillitate quàm inter hos calumniæ fluctus permanſiſſe. Neque verò inter iſta diuinæ regiæque protectionis argumenta ſegnius ille vel Societatis publica, vel animi ſui interna negotia accurabat. Nam vt Societati commodaret, impetrato per hæc fere tempora à Rege commeatu Rothomagum adiit, quo Elizabetham Monceliam Dominam d'Aubigny grauiſſimam ac nobiliſſimam fœminam, quæ non paruam pecuniæ ſummam in Societatis commoda Cotoni arbitrio impendendam deſponderat, perpelleret, vt fecit, ad domum tyrocinio Societatis ex ea pecunia Rothomagi conſtituendam. Vt verò ſuis priuatim rebus quo ſolebat diuum timoris atque amoris ſtudio proſpiceret, cum haud diu poſtea Ludouicus Richeomus Lugdunenſi noſtrorum Prouinciæ Præpoſitus ad Regem veniſſet Aureliam, quod eius ſe prouidentiæ ac curæ vtpotè ex illa traductum prouincia, ſubeſſe adhuc ſuſpicaretur, demiſſis eum precibus vt mihi poſteà Richeomus narrauit, tandiu interpellare non deſtitit donec impetraſſet nonnullam vt ſibi operam ante diſceſſum conſtituendis animi ſui rationibus vellet impertiri. Ergo in tranquillum ſeducto locum, vitæ ſuæ aulicæ rationem omnem ac modum exacte illi ac ſigillatim ſub oculos ponit: impensè flagitans ne refugeret ſeuere annotare quidquid ſibi in illa minus probaretur, ac pro imperio emendare; nec defuere quas ſublimis perfectionis ſtudium, vitæque in Deum omni ex parte collectæ deſiderium ex oculis illi identidem eliciebant lacrymæ placidiſſimæ. Tum verò quia nonnihil ſupellectilis aut viatoriæ aut ſacræ Aulica illa vita poſtulabat, exponi totam ante illius pedes iubet, vt nec re vlla abſque Præſidum conſcientia vteretur, nec

in

in Religiosæ paupertatis integritatem vlla minus necessaria vtenda peccaret. Et profitebatur Richeomus nullas sibi emendandi, plurimas admirandi imitandique causas occurrisse.

CAPVT VII.

ANNO CHRISTI 1606. ÆTATIS COTONI 43.

Ecclesiasticas dignitates repudiat signa humilitatis & puritatis magna prabet, & Societati constituenda ac protegenda laboriose vacat.

QVartum iam annum adesse Regi Cotonus pergebat, cum flueret illi vitæ quadragesimus tertius, adeoque in dies ei magis ac magis erat carus vt cum nihil omitteret eorum, quibus se commodare publicè Societatis posse existimaret si Cotoni intercessisset rogatus, tum animo suo non satis sibi videretur facere nisi illi priuatim beneficij quiddam conferret. Itaque cum duobus ante annis honoribus illum Ecclesiasticis augere Arelatensem Archiepiscopatum deferendo tentasset, & multis Cotoni precibus de consilio esset deductus, accusabat aliquoties posteà facilitatem suam. Hoc verò anno alia rem via aggressus Cardinalatus ei dignitatem, quam recens Pauli V. Pontificatus expeditiorem ac promptiorem faceret, ei aliquoties obtulit: ratus duobus eum iam nostrorum hominum Toleti & Bellarmini exemplis quæ ipsi identidem ingerebat ad assensum posse perpelli. Et Cotonus hanc eius voluntatem anno superiore exeun-

te

te ſubodoratus,egit cum Ludouico Richeomo , qui tum forte in Aulam venerat, atque à Rege memorabili comitate exceptus fuerat,vt aliquam apud illum ſecuritati ſuæ operam præbere vellet.Richeomus verò in ſuo à Rege digreſſu cum multas inexhauſtæ eius ergà Societatem benignitati gratias habuiſſet, vnam dixit reſtare,quam ſi illi Societas deberet nihil ad cumulum adiici poſſe exiſtimaret. Hanc ſe comitate eius quam hactenus eſſet expertus prolectante, auſurum ab eo infimis precibus poſtulare. Rex ſuſpicatus aliquid eorum quæ à Regibus ſolent, Richeomum abs ſe poſtulaturum, reſpondit habere ſe donorum ſuorum ſtata tempora, quibus ſponderet ſe Societatis fore memorem. Excepit Richeomus gratias ſe habere maximas, non tamen poſtulare nunc vt aliquid donet; ſed potius ne donet. Maiorem enim illi à Societate gratiam haberi nullam poſſe,quam ſi dignitates Eccleſiaſticas noſtris hominibus donare nunquam velit. Rex demiratus poſtulati genus,quæſiuit,eſſet-ne bona fide ea voluntas totius Societatis : & Richeomo aſſeueranter affirmante, dixit,prouidentiæ ſuæ fore vt illi omni in re quantum fas eſſet gratificaretur.Ita tunc dimiſſo Richeomo, Cotonus nondum ſibi ſatis cautum ratus capta hoc tempore familiariſſimi cum Rege colloquij occaſione hanc iterum ab eo gratiam illo animi verborumque ſenſu efflagitauit, vt Rex tum demum certò intelligeret non poſſe ſine magna animi ipſius triſtitia has illi iterum dignitates offerri. Diſertiſſima enim ac efficaciſſima illi oratione voti ſui religionem obtendebat, quo cauiſſet ne ſibi abſque Pontificis graui & videlicet non ad gratiam compoſito imperio dignitates eas admittere vnquam liceret. Cumque Rex excepiſſet ſe verò ſi Pontifex

eſſet

esset effecturum vt hoc sibi cauerent indocti tantum & improbi; Illi autem qui ipsius essent similes, cauerent potius ne sibi fas esset recusare. Cotonus copiosè edocuit, aliam ei Deum mentem daturum si Pontifex esset; quod aditum omnem suæ ambitioni præcludere optimorum quorumque hominum suprema sit salus; quod illæ societates à quibus in singulos bonitas deriuatur ac doctrina, diu bonæ esse ac doctæ non possint, si quos habent bonos ac doctos hoc prætextu facile amiserint; quod vt quisque probissimus est ac doctissimus, eò latius fundi eius operã Reipublicæ intersit, quæ dignitatibus hisce quasi cancellis circumscribi videatur. Quæ Rex cum attentissime audisset, recepit nunquam se illi in posterum hac de re verba facturum, rationesque eius magno voluptatis atque approbationis sensu quasi regustans aulicis sæpe enunciauit. Hæc illi subeunda fuit contra honorem primi loci quem nollet contentio, sed alia mox sequuta est pro eo quem vellet extremi loci. Nam cum anno superiore Lemouicas ad nonnullos tumultus reprimendos Rex profectus Cotonum quocumque peruenerat dicere pro concione imperaret, Pictauij quoque in celeberrimo S. Crucis cœnobio, vbi magnus est primariarum Virginum numerus audiri eius vocem voluit. Aderat ei concioni matrona Caluiniana maximæ in Regno dignitatis, quæ pro Sectæ audacia proiectaque mentiendi consuetudine, ausa est posteà coram Regina matronisque Aulæ principibus asseuerare, audisse se Cotonum illa in concione gloriantem nunquam se in vita peccatum admisisse mortiferum. Ac putidum quidem mendacium iis qui Cotoni modestiam ac pudorem norant, non persuasit; ne qua tamen hinc trophæa hæretici apud suam plebeculam possent erigere,

egit

egit Cotonus cum Cœnobij S.Crucis Antistita, quæ Caluinianæ illius soror, vt testimonium sua Virginumque suarum manu obsignatum perscriberet de iis quæ ab ipso illa in concione accepisset. Illa publicis literis testatissimum esse voluit, & hoc ex eo non auditum, & duo tantùm ei dicenti tunc fuisse proposita; Alterum vt demonstraret in omni actione vitæ nostræ ac maximè Oratione agnoscendum cuilibet, nihil esse vnde possit magnopere gloriari, cum alta vndique (si bene se nouit) cingatur miseria; Alterum, vt hac miseriæ propriæ cogitatione comparatos auditores ad diuinā misericordiam per Orationem prouocandam institueret. Quod argumentum quàm esset ab illa gloriatione de qua insimulabatur alienum, nihil attinet pluribus verbis declarare. Et nihil quidem notæ Cotoni humilitati repressa hunc in modum muliebris vanitas tunc obfuit; Sed nobis qui eius virtutes religiosissimè in vita occultas vestigiis sectamur, nunc profuit. Nam quo scripto hanc suam contentionem manu ille sua perscripsit, in eo dum explicat quibus illa mulier ex rebus, calumniæ occasionem arripuisset, egregium, sed vt res tunc fuere, necessarium puritatis castimoniæque suæ testimonium reliquit consignatum. Narrat enim sibi nonnullis ante hoc tempus mensibus, alteram intercessisse cum hæretico Optimate contentionem, ex qua illa matrona, vt fere mendacium sibi per Veritatem viam sternit, suam fabulam concinnasset. Etenim cum hæreticus ille pro Caluiniana proteruia, cœlibatum custodiri à sacerdotibus negaret posse, omnesque qui se custodire profiterentur, vanos atque hypocritas nominaret. Repressit Cotonus os maledicum aliquot verbis. Et ille castigatione factus ad audendum proiectior. Tu verò, inquit,

qui

qui te cæteris patronum præbes, adeóne tibi tuæ es conſcius caſtimoniæ vt integram audeas profiteri? Cotonus quod propugnandæ vitæ cœlibi neceſſarium erat tantùm reſpondit. Neque tu,inquit, neque alius quiſquam, ita me diuina miſericordia ac pietas ſperare iubet,in religioſum ac ſacerdotale quod edidi votum quidquam à me mortalis admiſſum culpæ, olim ad Chriſti tribunal mihi obiecerit. Hic fuit calumniæ illius hæreticæ fomes,tertiumque opinor,quod de Caſtimonia ſua teſtimonium in vita conſignauit. Nam & olim Iuuenis in Societatis aditu;& poſteà Vir, dum in deſertæ Religionis Catholicæ ſuſpicionem ab Hæreticis vocaretur, & in hac contentione cum dynaſta hæretico culpam abs ſe impuritatis, ſcripto, vt ſuis locis narrauimus eſt amolitus. Cuius rei teſtimonia vt per naturam alia eſſe non poſſunt quàm domeſtica, ita cum ſanctitate, moderatione & ſinceritate totius vitæ produntur, vt in noſtro Cotono obſignata, omni ſunt exceptione maiora. Cæterùm inter iſta bello fremere omnia ac feruere in Gallia ſunt viſa, contra Bullonium Ducem, Sedani Principem. Quo Rex contendens cum exercitu, abeſſe abs ſe Cotonum noluit, qui non tantùm purgandæ ante bellum conſcientiæ, ſed concionibus etiam toto itinere habendis ad manum eſſet. Sed recepto breui per deditionem Sedano, hanc etiam in eo opportunitatem inuenit vt Catholicæ Fidei prædicationem in hæreticam vrbem quaſi triumpho ſecum inferret. Iuſſus enim illic ſtatim concionari Cotonus inſolita de rebus Catholicis exiſtimatione ciuium mentes compleuit, treſque in præſens illorum in Eccleſiæ ſinum traduxit. Quin etiam Rex ipſe Bullonium Cotono in conſuetudinem iam aliquoties inſinuatum in Pariſienſi re-

ditu eadem secum rheda inter viros Principes, grauissimo suo imperio sedenti ac de rebus Fidei disceptanti aures dare iussit, atque vt liberius inter se illi capita conferrent, solos in rheda mox relinquere voluit. Neque tamen vt corpore ita animo discessit à Gotono. Nam post milliaria aliquot, cum illi equo vehénti lutulenta rhedisque incommoda via occurrisset, veritus ne Cotono quidpiam obtingeret detrimenti si Regia rheda eo forte loco euolueretur, seruum Regium cum equo nobili ei obuium mittit, qui tantisper eum equitare iuberet dum Rheda periclitaretur. Nec hoc loco stetit eius amor; sed cum Parisios reuersum esset, salutantibus nostris dixit, velle se illis Cotonum subducere, indeque in Palatio eum primùm degere, tum in Basilica Longauilla qua Palatio iūcta est, vt sibi perpetuo præsto esset imperauit; Rhedam etiam propriam ob frequentissima itinera habere eum tunc voluit, sed Cotonus quoad vires firmæ fuerunt, id sibi non est passus persuaderi, nec ante eò descendit, quam labores aulici, nostrorum externorumque consilia, ac Præsidum assensus & iussa ad id eum adegerunt. Parisiis graues illum in constituendis Societati Collegiis difficultates exceperunt. Quo enim Regia illum gratia copiosius afflabat ac secundius, hoc illi æmulorum excitabatur copia maior, atque in negotiis perficiendis quæ fere ex eorum in Aula muneribus pendebant, morosior. Pro Collegio Pictauiensi potissima illi concertatio videtur fuisse, cuius ab anno superiore surgentia fundamenta quassantibus omni ex parte viris potentissimis retineri posse ij duntaxat crederent, qui rerum omnium potenti Deo res nostras cordi esse sentirent. Ciues hæretici, etsi non admodum erant

multi,

multi, tamen Proregis qui à Catholica Fide alienus erat, autoritate fulti, tumultu ac terrore si retineretur Societatis Collegium complebant omnia, Catholici incensis id cupiebant studiis, saluamque sibi pietatem ac Fidem absque eo subsidio non sperabant; sed iidem rem aggrediabantur cum ad Proregis offensionem respexerant non sine magno timore, cum ad potentiam non sine magna perficiendi desperatione. Cotonus de timore eorum ac Proregis in hoc negotio voluntate Regem edocuit, diplomata quæ Collegium constitui iuberent, obtinuit; Regem qui acerba odisset imperia & coactam obedientiam, eò perpulit vt ipse Proregi amicas adhiberet quodammodo suasiones, Catholicis ciuibus animos adderet, hæreticis præcisæ voluntatis hac de re suæ claras significationes daret. Cum enim diplomata Regia amanuensium potius facilitate Cotonique gratia extorta, quàm Regis voluntate perscripta causarentur, Rex sua ipse manu versus plurimos illis adscripsit, quibus questus cogi se à suis vt sibi ipsi esset amanuensis, moras omnes hoc in negotio iubebat facessere, cogitareque omnes ad quos id attineret, sibi nihil hic superesse nisi parendi laudem. Ita constitutum est ac erectum Pictauiense Collegium, vt maxima Cotoni pro Societate ac Catholicis ciuibus contentione, ita non minore hæreticorum inuidia. Ex qua cum illi multæ deinceps molestiæ procrearentur ac labores, animi tamen ingentesque in Dei gloriam conatus cœlesti subsidio succrescebant. Lemouicensibus enim ad Collegij nostri stipendia geminum de re Ecclesiastica beneficium; Molinensibus non tantùm Collegium, sed etiam Borboniæ pietatis vetus monumentum S. Iuliani domicilium & omnia iura; Flexiensibus cente-

na aureorum millia ; Cadurcensibus denique ac Viennensibus Collegia singula hoc anno vt attribuerentur, apud Regem perfecit. Sed nimirum tot lætis rebus triste quidpiam interuenire oportebat, ne aulicæ ac popularis aulæ gloriola succum virtutis exsugeret. Ergo tam secundo Regiæ gratiæ flatui obiecit se quasi quidam tristis Boreæ reflatus, qui segetem non decuteret sed firmaret, celebris cuiusdam de foro causidici apud Regias aures querela. Is cum hominis alicuius nostri qui extrà regnum erat, libello se perstrictum putaret, dissimulata qua maxime pungebatur castigatione sua, vt vindictam sibi prætextu Regiæ iniuriæ quærreret, Regi quadam die suggessit scriptos à nostris hominibus libros quospiam extrà Regnum, qui essent Franciæ Regibus iniuriosi, simulque verba quædam ex nonnullis duriora, quæ exulceratis per temporum & bellorum iniquitatem animis imprudenter excidissent, in crimen adducebat. Rex qui hominis fraudem statim sensisset, acuto primùm dicterio illum derisit, tum Cotonum haud procul positum capitis nutu accersiit, ac de tota querela edocuit. Cotonus causæ iniquitate demonstrata, quæ more hactenus sæculis omnibus inaudito cogeret eos qui Regno eius naturæ gratiæque ipsius infinitis vinculis tenerentur astricti, vadimonium pro iis qui extrà Regnum essent promittere, cum nec eorum moderari affectibus, nec peccatis si quæ peccarent obuiam ire potestatis ipsorum esse posset, causidicum vehementer vrgere instititit, vt ex libris ipsis ea loca quæ diceret iniuriosa coram Rege proferret, satis certus ea Regi non adeò inuidiosa quàm ipse iactaret visum iri. Ille cum diem sibi produci postulasset, quòd libri ad manum non essent; præstare nunquam posteà potuit

tuit quod receperat. Et Rex negans ſibi obſecundandum iis qui dolori ſuo Regis dolorem vellent obtendere, aliterque ſe cum ſuis, aliter cum Extraneis agere didiciſſe affirmans, ad eorum qui accuſabantur Autorum vnum, alioſque eiuſdem nationis duos, literas illicò ſcribi iubet honorificas; quibus Regni Galliæ eis incolendi ius dabat.

CAPVT VIII.

ANNO CHRISTI 1607. | ÆTATIS COTONI 44.

Graues pro Veritate & Societate diſceptationes ſuſcipit.

NVnquam Cotonus aut tutior in Aula erat aut quietior quàm cum minus tutus & quietus videbatur. Diuinæ enim artis erat firmare illum per aduerſa, nec ita Aulæ blandimentis deliniendum permittere, vt non ex interuallo humana exerceretur inuidia. Sumpſit hoc anno qui aulicæ vitæ quintus illi erat, ætatiſque quadrageſimus quartus, aperta huius rei experimenta. Cum enim gratia eſſet apud Regem certa quotidie magis ac confirmata, tum difficillima illi ac moleſtiſſima negotia paſſus eſt Deus faceſſiri. Nam primum hoc ipſo tempore maleuoli quidam ac parum certò Catholici, vt Cotono inuidiam in Aula pararent, odioſiſſimam quæſtionem; An liceat inſidias contra Regum incolumitatem ſtructas, ſi per Sacramentum pœnitentiæ agnitæ fuerint, aperire: in circulis ac colloquiis ingerunt: aures quin etiam Regis, & Ducis Bullonij qui in Aula adhuc hærebat ſermoni

ſermonibus eiuſmodi obſident, adeóque rem vrgent, vt inambulans aliquando Rex cum Bullonio accerſitum ad ſe Cotonum interrogaret. Si quis contra Regis vitam quidpiam ſe machinari in Confeſſione Sacramentali ipſi aperuiſſet, nunquid nam eſſet quod ipſum prohiberet rem Regi ſecretò renunciare. Eſſet enimverò, inquit Cotonus, religio Sacramenti, quæ tota collaberetur, ſi vel minima labefactandi ſecreti via eſſet aperta. Si enim Regis incolumitas maximum, fateor, regni bonum, ſed tamen humanum, ac diuino minus, ſatis iuſta cauſa eſſet ſecreti relaxandi, multò certe id iuſtius diuini honoris protegendi gratia faciendum eſſet. Atqui hac ſemel patefacta porta, quidquid ab homine peccati deſignari Sacerdos in Confeſſione agnouerit, id videlicet ne diuinus lædatur honor, qui nunquam peccato non læditur, non erit ſecretò habendum. Iam cum ſecreto Sacramenti potius quàm honori ſuo cautum eſſe Deus voluerit, vt ad eius vtilitates homines prolectaret; graue ſane videri non debet quòd eidem ſecreto Regum poſtpoſuerit incolumitatem. Addidit ſub hæc, ne Regum quidem incolumitati ſatis prouiſum fore, ſi eius cauſa Confeſſionis arcanum effringeretur. Poſtquàm enim id inter homines conſtaret, nemo eorum, qui perniciem Regibus machinaretur adeò deſiperet, vt vel Confeſſionem inſtitueret, vel de eo ſcelere quod tanto ſuo periculo ſtatim enunciandum ſciret, verbum in Confeſſione faceret. Ita diſſuaſor deeſſet tanto ſceleri, qui alioqui præſto eſſet in Confeſſione, ſi ſpe ſecreti ſcelus ſuum detegere nefarij proditores auderent. Hæc ille cum diſertiſſimè diſſeruiſſet. Tu ergo, inquit Rex, enixe diſſuaderes? Sane inquit Cotonus, quam poſſem maxime; nec illud tantùm, ſed impunitatem etiam illi

illi à Rege conarer impetrare, si prodere seipsum sceleri sque socios extra Confessionem in animum induceret; si id non auderet, lege Sacramenti adigerem non tantùm vt ipse à sceleris cogitatione procul abscederet; sed etiam Socios terrore omni intentato arceret. Quid si, addidit Rex, vel tu illi, vel ille aliis non persuaderet? scelus videlicet perfici sineres? nequaquam, respondit Cotonus; sed corporis mei obiectu vulnus vel exciperem vel impedirem. Tu ne, inquit Rex mihi intentatum vulnus exciperes? Non vulnus, inquit ille, sed mortem excipere millies malim quam vt Regio corpori male eueniat. Arrisit Rex, & placide quæstioni modum imposuit; quæ in tam lubrico, atque inter veritatem & pietatem aduersùs Regem tam ancipiti loco, sollicitum interim Cotonum habuerat non parum. Secundùm hæc cum Cleri Gallici generalia comitia anno superiore cœpta, iam essent in exitu, Cotonus qui iampridem perspexisset nulla re magis foueri in Gallia hæresim, quàm Ministrorum Caluini ingeniosa nequitia; nec Ministros vlla potius causa perseuerare in suscepta nequitia, quàm quod sustentandæ suæ ac suorum vitæ hoc vnum illis sit artificium; agere cum Rege institit vt Clero Gallico autor esset ad maiorem decernendam de Ecclesiasticis pecuniis annonam iis vel Ministris, vel eorum adiutoribus qui Caluino vellent nuncium mittere. Amplexus Rex optimus cupidissime consilium, egit efficacissime vt id Clerus approbaret, idque institutum magnis posteà incrementis adauctum hæresis vires incredibiliter in Gallia debilitauit. Ministri enim qui paratum sibi apud Catholicos perfugium sentirent, nec fraudi iam tàm acres incumbere, nec prauas partium machinationes adeò secretas habere, nec suspicione

cione defectionis apud suos carere, nec pauci aut parui nominis ad nostros cœperunt transire. Quæ res Caluinianos omnes suorum inprimis doctorum, deinde credulitatis etiam diffidentia compleuit. Neque verò Cotonus rem Catholicam hoc tempore opera minus iuuit quam consilio. Nam præter inferioris notæ aliquot, viros etiam tres nobilissimos, Castelnau Regiæ custodiæ præfectum, Mainuillium & Vassauium deductos ab hæresi adiunxit Ecclesiæ. Enimverò nimium iam diu cessare sibi visus malus Dæmon, dolorem quem ex erepta suo de ore tam opima præda concipiebat, concoquere amplius non potuit. Sed ad noua Cotonum reuocauit certamina eò grauiora ac periculosiora, quòd in eis non causa eius priuata, sed totus Societatis in Gallia progressus ad indubitata discrimina ab iis qui speciosa Regij publicique boni nomina suo obtenderent odio, trahebatur. Domiciliis enim nostris primùm, deinde etiam hominibus lis est intentata. Nam cum pluribus iam exemplis compertum esset, domicilia nobis in Gallicis vrbibus nulla facilius promtiusque via constitui, quàm attributis in nostrorum, qui laboraturi in eis essent, stipendia Ecclesiasticis beneficiis; existimarunt non immeritò qui animo erant in nos haud satis æquo, grauiter nobis incommodari posse, si Regij Consistorij Consulto ab eorum adeunda possessione velut regiis rationibus aduersante interdiceremur. Ergo inuentus est vnus quispiam de iis qui Regiis vtilitatibus ex officio inuigilant, qui ad Consistorium Rege præsente ea de re referret. Et dicebantur initiò sententiæ abi is, qui ad beneficia Societati semel attributa, sibi suisque in perpetuum ademptã aspirandi spem quererentur, sane admodum nobis infestæ. Sed vbi Rex animum suum

ſuum aperuit, orſus de Societate quæ ex Cotono didicerat, atque de ipſo Cotono quæ longa iam experientia docuerat pertexere, neganſque beneficiorum fundatores ſi reuiuiſcerent alios in vſus beneficentiam ſuam impenſam optaturos, quam in quos Societas eam conferret, magna eſt ſententiarum facta mutatio. Nec defuere qui non tantùm Regiæ conſcientiæ, ſed etiam publicis ac priuatis rationibus, beneficiorum in noſtros participationem plurimum conducere, efficaci diſertaque oratione docerent. Quippe nec Regibus apud Deum periclitari eo in facto iudicium, de eorum quibus benefacerent dignitate, in tanta doctorum ac proborum hominum copia quantam Societas haberet; nec publicis obeſſe rationibus, quod ad tam multas tamque diuturnas Reipublicæ vtilitates ex tot millibus beneficiorum, quorum plurima in vſus non ſanctiſſimos abeant, pauculis aliquot cum Societate decideretur; nec denique priuatis eorum rationibus qui ſuis beneficia deſtinaſſent, commodius quidquam poſſe contingere, quàm vt Societate rite conſtituta, haberent vbi liberos, ſi diuini eſſet conſilij, in eam admiſſos, priuatim ac publicè vtiles ſibi olim gratularentur. Has rationes ſuis identidem interloquutionibus Rex iuuabat, atque apud Cotonum poſteà & alios ſuauiter reguſtabat. Stetit ad extremum, nec Regis nec aliorum hoc in genere beneficentiam nobis eſſe intercludendam. Hoc periculum excepit aliud, quod dum noſtros homines iis quas hæreditario iure poſſiderent fortunis ante tempus euerteret, omnes Inſtituti noſtri rationes perturbabat. Litem intulit nobis in eodem Conſiſtorio Regius Aduocatus, cui non placebat in more eſſe Societati noſtræ, vt qui inter nos exacto probationis tempore ſim-

plicia Religioſorum vota emiſiſſent, ij ſuorum poſtea bonorum ius retinerent, eaque in ſolidum reciperent cum votis ſoluti à Societate iuſta ex cauſa domum ad ſuos dimitterentur. Ergo ille paternis perpetuò bonis prohibendos contendebat, qui ſemel vota in Societate edidiſſent. Qui enim iis votis Religioſi fierent, eos in cæterorum Religioſorum ordinem ac morem Paupertatis obſeruandæ cogendos. Id ni fieret dum ſuſpenſæ manerent familiarum fortunæ, matrimoniis quæ interim conciliarentur iniuriam fieri. Quippe vel ea familia vnde noſter eſt, ſuſpenſis inter eius perſeuerantiam aut defectionem animis coniugium fortuna ſua dignum non ſortitur, vel ſi ſortitur, noſtro poſteà deficiente, fallit familiam cum qua conuenit. Addebat, hinc negotiationum crebrò ac mutuorum fidem laborare, dum diuiti in ſpeciem familiæ fortunas ſuas committunt homines, quæ vnius è noſtris leuitate ac defectione de ſtatu momento deiiciatur. Itaque colligebat Reipublicæ intereſſe, ne familiarum fortunæ diu pendeant in incerto. Permouit hæc oratio Cōſiſtorium, Conſultumque editum, vt de re tota Rex qui tunc aberat, moneretur. Verum ille monitus negauit ſibi placere vt de re illa quæreretur, aut ſtatueretur quiduuan, niſi de ea prius Cotonus in Conſiſtorio eſſet auditus. Itaque à Sigillorum Regis Cuſtode aduocatus certa die cauſam pro Societate dicturus in Conſiſtorio adfuit. Hic verò cum oſtendiſſet quam grauibus ac neceſſariis ex cauſis Pontifex ius eſſe voluerit Societati, exſoluendi votis ſimplicibus eos qui poſt diuturnas probationes, vitio ſuo minus ad eam idonei comperti eſſent, ne votis obnoxios, vel ad certam ipſorum, eiicere, vel ad certam idoneorum perniciem retinere cogeretur; ſciſcitari inſtitit ex iis

qui

qui aderant, moderate-ne essent laturi si qui eorum filios in Societate haberent, minus instituto idoneos, ad certam eos mendicitatem domum remitti? Quod si id, vt est, minime paternum videretur; cogitarent nec illud quidem paternæ charitatis quæ omnium maxima est, videri debere, ita vniuscuiuspiam è filiis splendori atque opibus consulere vt alios antequam de eorum in religiosa vita constantia quidquam certi esset, iure omni ac fortunis denudatos exponerent mendicitati. Neque verò quidquam esse in eius qui hanc nobis litem intendisset oratione quod viros sapientes meritò deberet permouere. Nam Religiosi, inquit, post illa vota estis. Quid tum postea? Ergo aliorum Religiosorum vobis lege vtendum. Sane ridicule. Quasi Religiosorum omnium lex sit vna, ac non alij aliud agant, aliud vestiant, aliud vescantur, atque aliud etiam voueant, absque vlla Religiosi nominis iniuria. Atenim inquiet, Paupertatem æque omnes vouent. Vouere non nego; sed æque omnes vouere pernego. Modulum enim vouendæ seruandæque paupertatis aliis alium sua præscribunt instituta. Ius possidendi latifundia Benedictinis, Carthusianis, & aliis votum paupertatis non adimit; Capuccinis & aliis adimit. Quid Religiosis militaribus Alcantaræ, Calatrauæ & Sancti Iacobi in Hispania & Lusitania; an non ius est post votum paupertatis tum paternas fortunas, tum quæsitas ex fructu beneficiorum quæ ab Ordine obtinuerunt in vita provt libuerit dispensandi ac disponendi atque in morte testamento ad alios pro arbitrio transferendi. Ac ne extranea exempla minus moueant, an non in Gallia præsto sunt nobis Religiosi Victorini Massiliæ, quibus votum paupertatis testandi in extremis potestatem non ademit? Sed ne pluribus exem-

plis rem vrgeam, Romanum postremò Ius appello, in quo extat Iustiniani constitutio potestatem faciens iis qui monastica emiserint vota & liberos ex coniugio domi reliquerint, testamenti post vota condendi, quo facultates inter liberos, & monasterium partiantur. Quæ omnia quantum absint ab aliorum Religiosorum more ac iure nihil attinet demonstrare. Enimverò si non Religiosa tantum verum etiam professa ac solemnia vota ius iis quos dixi omnibus in paternas facultates integrum reliquere; quænam porrò intemperies fuit Aduersarij nostri, vt votis simplicibus atque ex causa interdum relaxandis paternas illicò facultates abdicandi necessitatem annecti vellet? Sane cum ex Religioso nomine quod vota illa simplicia tribuunt argumentatur; næ ille parum in argumento suo videt, si tot non tantùm Religiosorum verum etiam Professorum exemplis vim eius plane labefactari non videt. Nam quod subinde adiicit Reipublicæ interesse, vt qui matrimonia contrahunt, qui mutuam communicant pecuniam, qui negotiantur cum iis familiis, quarum vel inopia vel copia ex cuiusdam è nostris constantia aut defectione pendeat, in eo quod gerunt non decipiantur; hoc profectò est nodum quærentis in scirpo. Nam si Reipublicæ non interest à tot hypothecarum antecessionibus, tot fideicommissis, tot substitutionibus quæ plerumque arcanæ sunt & ex syngraphæ aut testamenti priuati abdito eruendæ, matrimonia, mutua, & negotiationes hærere suspensa: Quid erit quod quis merito censeat Reipublicæ interesse ne à iure apertissimo ac toto orbe Terrarum iam notissimo, eadem nonnihil suspensa maneant? quanquam quid est cur suspensa vocemus? cum eorum qui sapienter matrimonia,

mutua, & negotiationes ineunt solertiæ ac cautionis esse debeat ne plus facultatum esse sibi fingant aut aliis, quàm certo esse constet, aut si fingunt quam ipsi sibi accerserint ne moleste ferant deceptionem. Quæ cum vehementer disertéque dixisset Cotonus, orabat ad extremum, nec institutam à Pontificibus, laudatam à Conciliis, Italiæ, Poloniæ, Germaniæ, Hispaniæ totique orbi Christiano probatam consuetudinem, ex qua Societatis tot nominibus vtilissimæ nasceretur incolumitas, in periculum vellent adducere. Plus apud se Regis Augustissimi iudicium qui nos Regno hac consuetudine non reiecta restituisset, plus Gallicorum omnium Senatuum assensum quàm leuissimas vnius hominis morbo fortè potius quàm iudicio contra intentis cauillationes valere paterentur. Excepta est applausu atque admiratione omnium oratio, nec alia deinde de re quam de eloquentia atque efficacitate illius toto Consistorio actum. Regi quin etiam gratulatum venere aliqui, Concionatoris sui in omni dicendi genere excellentiam, & per eos Consistorio ille renunciauit nolle se vt de Societatis Instituto quisquam amplius disceptaret, bonis eam legibus niti, semelque Edicto transacta frustrà in examen reuocari. Ita pax Societati & Cotono ad tempus fuit. Et ille constituendæ Societati in Gallia, quod restabat intentus, duo illi Collegia, Ebreduni vnum, Niuerni alterum impetrauit; Rege ipso plurimùm cum iis quorum intererat disceptante vt res nostræ quam optimo statu iis in vrbibus collocarentur. Quin & hoc ipso anno millenos aureos ad leuandam Collegij Rothomagensis inopiam, millenos item in Romanam domum comitia generalia excepturam à Regia benignitáte deriuauit.

CAPVT

CAPVT IX.

ANNO CHRISTI 1608. ÆTATIS COTONI 45.

Delphino Franciæ fit Pietatis Magister, & Aulæ gratia abire frustrà conatus ad Religiosos ac Religionem promouendam animum vertit.

VOluebatur iam annus sexcentesimus octauus, cum Regi prouidentissimo placuit, maiorem natu Filium Franciæ Delphinum septimo ætatis anno vix admotum Cotono in manum dare, vt primis ab eo Christianæ Fidei morumque rudimentis imbueretur. Qua re vt nullam potuit illustriorem significandæ suæ de Cotono existimationi excogitare, sic nec vlla Societatem honestare, aut ad dignitatem splendidius, aut ad multorum vtilitatem vberius. Fecit verò Delphini, qui hodie est LVDOVICVS XIII. Rex augustissimus, incensum Fidei Catholicæ asserendæ ac propagandæ studium; Fecit pietas ac vitæ integritas, quæ non tantùm in Principe sed etiam in priuato possit esse miraculo vt cum illi immensæ eas ob res gratiæ à toto Regno immortaliter debeantur, nonnullæ tamen in eum, qui prima illatum semina sacro eius pectori commendauit à multis interdum refundantur. At Henrici Parentis vt incredibiles quotidie erant amoris ergà Cotonum accessiones, ita mirifica ornandi eius ac protegendi studia: Colloquia eius tàm crebro expetebat, vt Aulæ inuidiam non tantum Cotonus sibi; sed etiam Rex Cotono vereretur. Itaque

ne

ne & ipse voluptate sua, & Cotonus Aulæ gratia careret, duo instituit. Alterum, vt eum non priuatim tantùm vt prius, sed etiam publicè de re quapiam proposita coram Aulicis iuberet differere, quo & illi suam quoque voluptatis partem caperent, & quibus de rebus crebra illa cum Cotono colloquia solerent esse intelligerent. Alterum, vt eum cum se vt solebat à Regio latere dandi aliis loci gratia submouisset, clara voce, si colloqui esset libitum, reuocaret; ne se Cotonus arroganter obtulisse; sed, vt res erat, Regi tantùm accersenti paruisse agnosceretur. Eiusdem est generis quod addam. Conciliabatur in Aula inter Regij sanguinis Virum, & Mulierem Principem matrimonium, quod sanguinis nonnulla propinquitas absque Pontificis venia hærere non sinebat. Qui rem confectam volebant, veniam contracto matrimonio satis adfuturam tempori prædicabant; Cotonus consultus negauit id licere, morasque matrimonio sua responsione attulit. Hinc videlicet à Viris primariis delatæ ad Regem querelæ. Sed ille: Alterum, inquit, è duobus faciendum, aut consulendus Cotonus non est, cui male facere est animus, aut si consulitur, non quod cupiditas sed quod veritas postulat expectandum, atque æqui boni faciendum. Nec dissimile fuit hoc quoque. Sensit è palatinis suis aliquos, deprimendi Cotoni studio laborare de persuadenda sibi aliorum Concionatorum præstantia; eaque de re colloquens cum Regina; Meæ, inquit, istud est artis meique iudicij, internoscere quas Inuidia laudes procreet, & quas Veritas; momento vtrarumque ingenium perspicio. Itaque ad illas obmutesco, meoque silentio silere illum iubeo qui plura garrire parabat; ad has disertus sum, meaque oratione facio eum qui mecum de illis loquitur

quitur eloquentem. Periclitari in Cotono poterat diuina gratia inter has aulicas gratias, si eas nimium amasset; sed illi earum omnium patientia inerat non voluntas. Hoc enim maxime tempore in suam ipse vitam inquirens, magnopere angi cœpit, ne forte dum alienis obsecundabat compendiis, suæ ipse saluti dispendio esset. Habebat autem iampridem suspectas suas istas in Aula moras. Non enim dicam mores, qui non minus distabant ab Aulicis quam à terra cœlum. Sed tamen vel ipsas moras inter Aulæ plausus, inter Principum Procerumque blandimenta, inter munera excipiendi Confessiones, consulendique eorum saluti, nonnihil sibi esse posse periculosas suspicabatur Et alioqui verebatur, ne Dei occultè admonentis voces forte essent, quas plurimi alio sane animo iactabant tunc crebro in Aula, non Cotoni solius esse Regem oportere, alios quoque eius gratiæ debere esse participes. Igitur vt animo suo satisfaceret, nec Regiam intereà sibi ac Societati offensionem accerseret, duplex ad suum ab Aula excessum iniit consilium. Primum, vt ad alios concionatores audiendos commemoratis qua per se qua per alios eorum laudibus Regem pelliceret, certus suadere illi vt in Aulæ suggestum aduocaret si quem ipsi placere aduertisset. Sed Rex ad tres tantum è nostris qui per Aduentum Parisiis tunc concionabantur duci se pertulit, nec Cotono carere se diutius volens, ad palatium rediit, nihil dicens vnde promoueri Cotoni consilium posset. Hinc ergo exclusus aliam exorsus est telam, quam nihilo magis detexere potuit. Etenim cum aliquoties nonnullos Regi suggessisset multò se vt aiebat aptiores vt illi essent à Confessionibus, dedit se aliquando occasio commendandi Archiepiscopum Ebredunensem ob

ob ſanctiſſimum vitæ inſtitutum, quam commendationem Rex pro eo ac par erat pręclaris verbis approbauit. Et Cotonus illicò per ſe atque Archiepiſcopi Fratrem Andream Laurentium Regis Archiatrum agere eſt aggreſſus, vt Regiarum illi Confeſſionum munus demandaretur. Sed paſſi ſunt ambo repulſam, Cotonoque priuatim idipſum vrgenti Rex iam commotior dixit, Fruſtrà ipſum agere, vt aliquem ſuum in locum ſubroget, nolle ſe alium, ac ſi maxime eligeret tamen arcana conſcientiæ ſe nihilominus ipſi patefacturum vt conſilio eius vteretur. Quæ vt audiit, non inſtitit porrò huic conſilio; ſed omiſſis verbis ſatagere cœpit rebus ipſis, tum vt eorum qui aſſiduas eius cum Rege collocutiones leuiter non ferebant, declinaret offenſiones, tum vt internis Regis vtilitatibus impendio magis inuigilaret. Ac prioris quidem inſtituti vt compos fieret, legem ſibi indixit, tum in Regium colloquium quam poſſet plurimos data occaſione inſinuandi, tum ſeipſum cum quis ſe vel minimum Regio colloquio obtulerat modeſte ac ſine ſenſu ſubducendi. Et quanquam plerumque falſus conſilij, à Rege vbi ex oculis eius abſceſſerat illicò reuocaretur, tamen hunc morem conſtanter tenuit donec Rex vixit. Poſterius autem vt aſſequeretur, diligenter annotatas habebat, quæ variis ex Prouinciis ad ſe delatæ erant Regiæ charitatis occaſiones, atque earum tam tempeſtiuus ac prudēs Regi monitor aderat, vt nullam vnquam ſuggereret, quin ſimul expeditam rei ad exitum perducendæ rationem demonſtraret: quo eſt conſecutus, vt rariſſimas ab eo repulſas illis in rebus pateretur. Itaque cum per hæc tempora Catholica Eccleſia vel nouis, vel innouatis Religioſorum virorum ac mulierum familiis mirifice floreret, multique

rationibus humanis potius quam diuina prouidentia rem metientes, quod eæ familiæ cum egestate per initia sua conflictarentur, earum propagationi in Gallia obsisterent; commune illarum omnium perfugium erat Cotonus, qui Regi suaderet Seruorum Dei nunquam in eius Regno esse nimium posse, vbi plus semper nimio esset Dei inimicorum. Nec defuit Rex Cotoni studio, sed cum illi dedisset in mandatis vt dispiceret serio ac notaret quidquid ad Religiosorum Ordinum commoda cum Summo Pontifice agi posset, matureque se admoneret, literis apud illum frequentibus egit vt quod authoritatis suæ esset restituendæ Ordinum in Regno suo disciplinæ vellet impartiri, nec dubitaret quin Regia potestate quidquid ipse decerneret, fulciretur. Itaque hac munitos autoritate Franciscanos quos vocant Recollectos Cotono per initia crebrò perducente iucunde ac comiter accepit, liberaliter eis præsidio, pecunia atque authoritate adfuit, & contra eorum molitiones qui disciplinæ refugerent seueritatem præclare sustentauit. Concionatori cuipiam nominatissimo ex ordine Franciscano qui Cotonum ac Recollectos coram se auderet sugillare, dixit Rex aliquando. Si me audies silebis in posterum, nam dum tu verbis malis perstrepens vitam illorum leuiter perstringis, illi tuam optimis factis silentes conuulnerant & conscindunt. Dominicanos haud diu posteà incessit idem reuocandæ disciplinæ studium; sed à paucis hominibus initiò susceptum, inueteratis plurium moribus & scilicet machinationibus obruebatur, ne se eo authoritatis gradu erigeret in quo multos ad imitationem pelliceret. Rex vt rem à Cotono intellexit, Prouincialis præpositi qui sancto obnitebatur studio non tantùm repressit conatus;

conatus; sed etiam authoritatem Pontificio iussu accidi, atque in alium qui restitutioni disciplinæ veteris allaboraret participari curauit; vnde ij posteà fructus prodiere quibus hodie suauissime Regnum perfruitur. Carmelitanis & Benedictinis eodem arctioris vitæ desiderio percussis, & Rex copiosa gratia & Cotonus studiosissimo sub hæc interuentu non defuit. Sed istud hoc in genere illustre cumprimis fuit. Duæ erant in Aula nobiles fœminæ, ambæ spectatæ dignitatis, ambæ hæresi à pueritia innutritæ, ambæ posteà Cotoni institutione hæresim dedoctæ atque Ecclesiæ Catholicæ adiunctæ, ambæ ad vitam Catholico nomine dignam eruditæ, & ad internæ pulchritudinis studium per Sacramentorum frequentem vsum ab eo animatæ, ambæ denique Religiosæ vitæ inter Carmelitidas Virgines suscipiendæ consilia quasi vno vtramque afflante Spiritu cœperunt agitare. Sed cum nobilitatis virtutisque nomine magno essent apud Regem pretio, magnaque apud Reginam charitate, luctandum videlicet illis fuit aliquandiu vt suam illis constantiam approbarent. Cui rei postquam abunde satisfecerunt, Regina suâ ipsas in rhedâ quasi triumpho in Christi sponsi desideratissimi domum, Carmelitidum cœnobium, mediam per ciuitatem traduxit. Hæc Cotonus cum in cæterorum Religiosorum familias conferret, non tamen nihil Societatis causa faciebat. Nam hoc anno vt redintegrari illi Augense Collegium, & Ambianense de nouo constitui liceret à Rege obtinuit. Remense autem biennio ante dum bello Sedanum peteretur, ex itinere ciuibus concessum, multisque artibus deinde oppugnatum, eius protectum industria, hoc anno aperiri & Ecclesiasticis aliquot beneficiis donari contigit. Inter quæ vt Regi constaret re-

rum omnium noſtrarum ratio, viſum Cotono in primis Catalogum illi eorum omnium qui tota Gallia ad fidem ex hæreſi noſtorum opera adducerentur offerre, qui cum quadringentos interdum aut quingentos aut ſexceptos excederet, mire illi gratus accidebat, aulicisque ab eo nō voluptate animi maxima oſtentabatur. Ad hæc cum à Viro primario ſermo coram Rege inductus eſſet de Collegio Burdegalenſi, tanquam de domo cenſus tota prouincia vberrimi ac ditiſſimi, nec illius dictis aliter reſiſti poſſe videretur quàm Tabulis obſignatis, Cotonus vt rei etiam noſtræ familiaris Regi conſtaret ratio, Præpoſitos omnes Prouinciarum Galliæ per literas monuit, vti cenſum ſibi omnem domorum quas in ſua quiſque ditione haberent fide publica conteſtatum mittere vellent, quo eum Regi tradere atque eorum qui noſtras opes vanis ſermonibus augerent os comprimere atque obturare poſſet. Factum eſt vti petierat, productique ad Regem rationum noſtrarum libelli, fidei ac fiduciæ noſtræ iucundiſſimo ſenſu eum affecerunt, cumque hanc noſtræ vt aiebat integritatis, fiduciæ ac candoris teſtificationem plurimùm commendaſſet, comperit libellos omnes pro iactatis in vulgus opibus plenos reipſa eſſe honeſta paupertate. Nulla enim reperta domus cui libræ æris Gallicæ ducentæ in noſtrorum ſingulos ſuppeterent, cum tamen ex ea ſumma excerpendum eſſet in commune quidquid Bibliotheca, Eccleſia, Officina medica, aliæque id genus ſumptuum occaſiones hauriunt: Quæ ratiocinatio ſic Regem affecit vt in eius mente non leuiter hærere ad exigui memoriam temporis, ſed alte ac penitus in eam deſcenderet ad perpetuum, Societatis cum ſe occaſio dederat ſuſcipiendam hac in re patrocinium. Quin vt etiam eius fru-

ctum

ctum ad alios propagaret Cotono iussit vt libellorum exempla Cancellario, Præfecto Ærarij Regij & quatuor Amanuensibus traderet; quo vos,inquit,ij quoque norint, sintque obtrectatoribus vestris idonei testes vos non sic Iberos, non sic Aureos esse vt vulgus putat. Adiiciam his ad extremum ea quæ Cotonus hominibus à Catholica fide alienis hoc tempore priuatim ac publice tribuebat. Nam in primis quidquid habebat, post eas quas dixi curas, diurni nocturnique otij, id ille scribendæ Institutioni Catholicæ impendebat,quam Caluino confutando hæreticisque sanandis Regis iussu iam ab anno superiore susceperat, adeóque hoc anno promouerat vt primam illius partem Summi Pontificis censuræ submissam Romæ iam haberet, quod intelleximus ex literis Cardinalis Bellarmini: quarum partem hic iuuerit recitare. Liber, inquit, R.V. iussu suæ Sanctitatis transfertur ex lingua Gallica in Italicam, vt possit intelligi ab iis quibus mandatum est vt referant quid de libro sentiant. Ego legi prima aliquot folia iam conuersa,& sane admiror eloquentiam tum authoris tum interpretis, & persuadere conatus sum Pontifici ex primis foliis de toto opere iudicium fieri posse, quod feci, vt res citissime expediretur, sed Sanctitas sua voluit translationem omninò perfici. Quare celeritas vel tarditas negotij pendebit à diligentia Traductoris. Valeat V. R. mei memor in sanctis precibus & sacrificiis suis.Romæ die 4.Maij 1608. Hæc Cotonus priuatim,sed publicè quæ nunc dicam duo Hæreticis hoc tempore laborabat. Alterum, vt nostris fas esset in eas Regni Nauarræ partes quæ Regi parebant concionum causa penetrare.Nam ab anno 1599. incolæ aut maiori ex parte hæretici, aut Catholicis potentiores Edictum

ab

ab ipſo extorſerant quo Noſtri Concionibus per eas regiones interdicebantur. Sed mutato iam erga nos & hæreticos animo, legem hoc anno maxima vt compertum eſt posteà earum vtilitate abrogauit. Alterum fuit vt ipſo in palatio apud Fontem Eblaudi cum Miniſtro Caluianiano celebris apud ſuos nominis, qui forte illuc aduenerat, diſceptationem de rebus Fidei coram Aulicis Hæreticis & Catholicis ſuſciperet. Ea enim in diſceptatione cum hæreticorum vanitas liquido apparuiſſet, qui pura Scriptura niti ſe iactent, cum nullam dogmatum ſuorum partem vllo eius verbulo rite poſſint conſtituere, Aulici quidam hæreſim ſunt dedocti. Extat eius diſceptationis hiſtoria, cui ad calcem attexuit Cotonus quæſtiones Caluiniani dogmatis plurimas, quas Viris nobilibus ſcripto ſolebat tradere, vt ſi earum ex Scriptura probationem à Miniſtris elicere non poſſent, clare videlicet intelligerent vana ſibi capitis hæretici ſomnia pro Chriſti Fide obtrudi. Quæ res multis quotidie eorum tranſitionibus ad Eccleſiam præbebat anſam. In his aliiſque id genus cum perpetuus eſſet in Aula Cotonus, tamen ſolemnem illam ſuam animi ad omnia immobilis tranquillitatem, diuiniſque in rebus attentionem adeò retinebát, vt cum hoc anno Societatis noſtræ Generalis Præpoſitus Claudius Aquauiua Bariſonum è noſtris Patribus vnum negotiorum cauſa legaſſet Regi; ille in reditu prædicaret nullum ſe ex aula miraculum maius referre, quàm quod Cotonum vidiſſet in tanta hominum rerumque omnium iactatione quantam habet Aula, facilius animum colligere, omneſque in Deum cogitationes cum vſus eſſet cogere, quam qui Religioſa cella nunquam exirent.

CAPVT X.

ANNO CHRISTI 1609. | ÆTATIS COTONI 46.

Insolita orandi facultate continui labores eius subleuantur.

ANnus sexcentesimus nonus insigne in Cotono aut diuinæ gratiæ, aut virtutis labore quæsitæ prodidit argumentum. Cum enim ante id tempus nulla ei res procliuior in vita fuisset, quam diuini auxilij per orationem ad omne suum negotium efflagitatio, vulgóque id esset obseruatum, concionum, quas habebat incredibiliter frequentes, argumenta, sententias, permotiones ab oratione potius quam ab studio & lectione ei prouenire; tum hoc anno mirabilis illi orandi ac diuina meditandi facultas est concessa. Abibant illi diurnæ horæ, vt ex iis quæ diximus potest coniici, inter innumera negotia proximorum causa suscepta, quæ meditandi atque orandi tempora multò quam voluisset decisa magis atque angusta relinquerent. Ergo concessum illi ab hoc anno quod tota constanter vita tenuit, vt nocturnis horis inter ipsum somnum, quem breuissimum capiebat ac leuissimum, orationes ac cogitationes de Deo non intermitteret; nisi si forte disceptatio quædam cum hæreticis aut cum Cacodæmone, quod quandoque contingit, animum tunc illi à Deo auocasset. Ea facultas siue ex Dei peculiari quadam gratia, quales ille in thesauris suis conditas habet innumerabiles; siue ex assiduo impensoque orandi ac meditandi inter vigiliam studio promanaret

naret, retractantibus somniis quæ vehementius hæserant in vigilia, signum sane fuit non vulgaris Cotoni pietatis. Cæterùm eam ipse prodidit bis in vita, primum anno sexcentesimo vicesimo, atque iterum mensibus aliquot ante mortem: ac priori quidem tempore prope coactus, cum Nanceij in Lotaringia cubiculum incoleret cuius craticij ac tenues parietes voces nocturnas ad vicinum Rectorem ac Confessarium eius transmitterent. Ipsi enim crebris oppido sciscitationibus disquirenti, vtrum eas voces aut morbus aliquis, aut lectus, cubiculum-ve incommodum exprimerent; cum nulla dissimulandæ veritatis ratio occurreret, dixit se tanquam conscientiæ suæ tunc arbitro enunciaturum, quod apud omnes eatenus tacitum voluisset; orsusque id quod iam enarraui exponere, ante duodecim annos eam facultatem sibi obuenisse significauit. Rector tunc erat Carolus Bilidstein, qui hæc se à Cotono accepisse omni asseueratione affirmat. Iterùm verò cum sermonem sereret cum alio è nostris, haud longe ante mortem de vario genere gratiarum quibus Deus homines in virtutis studio vel sustentat vel promouet, ac multos nominatim appellaret in quibus peculiares Dei gratias obseruasset, adiecit notum sibi esse hominem, cui esset à Deo tributum vt inter somnum, liberum haberet ad propitiandum precatione contemplandumque Deum rationis vsum. Solitus vero erat toto illo sermone si de aliis diceret nomen addere, si de se sine nomine quasi de tertio loqui. Vt facile appareat eum hac in re plus aliquid sibi à Deo tributum censuisse, quam natura vsu veniat. Sane quanto ipsius commodo cesserit hac facultas intelligi potest ex vi prope incredibili negotiorum quæ in illum hoc tempore vndique incumbebant

bebant, vt nisi illi noctes pro diebus ad colloquium nonnullum cum Deo licuisset impendere magna illum in tanta tamque antiqua precandi assuetudine vitæ insuauitas videretur exceptura. Enimverò præter laborem quem in reuocandis ad Ecclesiam hæreticis augeri quotidie nunquam sibi mitigari est passus; quinque illi erant hoc tempore in Aula negotia, quorum singula alium quempiam habuissent distentissimum. Ea fuere, continua prope cum Rege colloquia, Negotiorum Societatis apud Regem eiusque Administros tractatio, Literæ omnem in partem rescriptæ, Conciones tum in Aula tum plerisque in Ecclesiis Parisiensibus prope annuæ, & librorum conscriptio. Ac colloquia quidem cum Rege eiusmodi erant, vt in Apologia pro se postea scripta Cotonus ipse hæc quasi totius Aulæ experimento contestata scribere non dubitarit. Regem consuetudini & colloquiis suis id pro sua benignitate tribuisse, vt in comitatu, in consessu, in oculis, in auribus ferè semper habere ipsum voluerit, proximè sibi accumbendo & obambulando adiunxerit, multa familiarissime sciscitatus sit, quouis tempore, quocumque loco æquissimis viderit oculis, nec aliis post annorum plurium decursum, quàm quibus post primos congressus. At Negotia Societatis quàm multa, quàm magna, quàm molesta tunc fuerint, æstimari ex eo potest, quod plurima Societatis domicilia restituenda essent, plurima instituenda, census, prædia, Ecclesiastica beneficia, quæ per exilium nostrum ad alios peruenerant, per recuperatores redhibenda, noui census Collegiis aut olim egestate laborantibus, aut de nouo institutis comparandi; in quibus omnibus cum nec sine autoritate Regia quidquam promoueri, nec

autoritas Regia absque Ministrorum ipsius prona voluntate facile posset expediri, non est procliue explicare quibus ille officiis eorum voluntates promereri, aut ad quæ obsequia se deiicere cogeretur vt Societati commodaret. Plane vt qui eum inter ista tantum conspiceret, nullo apud Regem loco esse existimare posset. Sed illi deiici, immò deprimi coram omnibus nullius erat negotij, tantum tamen temporis & operæ quæ multis etiam aliis rebus deberetur huc impendere non erat nullius. Nam quid dicam de Literis vndequaque scriptis, quarum copiam fuisse tantam referunt, qui illi adfuere, vt qualibet hebdomada, mensa bene ampla iis oppleretur ad quas ille rescripserat. Cotoni verò ea erat animi fortitudo vt nulla eum copia à respondendo deterreret, ea charitas vt negotia ad quæ pro Societate vocabatur nunquam detractaret. Conciones verò Aduentu & Quadragesima per sexennium iam habuerat, vno semper Aulæ loco, coram eisdem ferè Auditoribus, iisque non parum, vt fit in Aulis, ad rerum diuinarum fastidium pronis. Quo maius illi incumbebat onus, vt nouis quantum poterat argumentis eorum leuaret fastidium. Nec tamen intereà se ita totum Aulæ dedidit vt plures Parisiensium Ecclesias, plura Virorum ac Virginum cœnobia repetitis interdum sæpius vna die concionibus non frequentaret. Denique perinde atque si ista omnia, otia tantum fuissent ac ludi, scribendæ Institutioni Catholicæ quam Rex ei vt dixi demandarat animum & calamum ita impendebat vt in iustũ opus anno sequente perducta lucem viderit. Atque hi labores eo sunt admirabilitate pleniores quod nec de spiritualibus occupationibus quæ in bene longis orationibus, Confessionum auditione, colloquiis

loquiis salutaribus, consultationibus de conscientiæ iure sitæ erant; nec de vrbanitatis erga viros honestiores officio quidquam sibi voluit esse propter eos diminutum. Voluit Rex per hæc tempora ad labores hos veteres nouum adiungere, honoris in speciem, sed periculi simul plenissimun. Cum enim aduerteret se per bellorum ciuilium præteritas turbas ab iis quibus tunc obsidebatur deiusum Ecclesiastica sæpe beneficia parum idoneis hominibus quasi in nauatæ sibi operæ præmium detulisse, consultius se nihil hoc tempore facere posse censebat, quam si de eorum quos ad beneficia promoueret eruditione ac moribus cognitionem atque arbitrium Cotono deferret. Defugit tamen longissime hanc iudicij atque oneris molem Cotonus, seque excusatum haberi impendio orauit, ne in tanta idoneorum hominum paucitate aut suam ipse conscientiam læderet, aut effugere hominum inuidiam & maledicta pluriū saluti perniciosa non posset. Decessit tum quidem Rex de consilio, optimæ mentis conscientiam vexare veritus, sed nullum deinde ad beneficia admisit, quin vel ad Societatis Collegia si nondum studuisset informandum, vel si studuisset per annos aliquot refingendum, mitti iuberet, vitæ apud nos Ecclesiasticæ verum esse exemplar asseuerans. Hæc dum in Gallia gereret Cotonus, non tamen prouidentiæ suæ oculos illius finibus patiebatur circumscribi; sed porrectis Constantinopolim vsque cogitationibus, Collegium nobis apud Galatam instituebat, cuius molitio quia plurium fuit annorum ab altiore est accersenda principio. Decreuerat Rex paulò ante annum millesimum sexcentesimum quintum Legationem Constantinopolitanam viro illustri Baroni Salagniaco, Cotoni nostrorumque amantissi-

mo, dederatque abeunti in mandatis vt apud Principem Turcarum ageret, nostris vt liceret Constantinopoli domicilium constituere. Qua in re cum Cotono id plurimùm optanti vellet gratificari, tum Legatorum Gallorumque omnium qui eo negotiandi causa appellebant, commodis prospicere se existimabat. Egit Salagniacus impigrè atque studiosè quod iussus erat, & ad mensem Majum anni sexcentesimi quinti Literas Turcarum Principis ad Regem misit, quibus & id nobis concessum, & antiqua S. Petri Ecclesia apud Galatam domicilio atque vsui nostro attributa. Sed ne quid negotio periculi afferret præcipitatio, censuit Rex expectandum Breuati reditum, qui annos viginti duos Constantinopoli Rem Gallicam procurarat, ratus eius monitis tutiore omnia ac diuturniore statu collocari posse. Dum tamen hæ ducuntur moræ non defuit rebus suis infernus tenebrio, cui nostrorum in sua Regna profectio suspecta erat ac formidabilis; sed fabricatam vbi minime expectabatur Parisiis machinam Constantinopoli intendit ad euertendum nostræ profectionis consilium. Etenim cum ad annum sexcentesimum sextum monitus à Cotono Rex augustissimus, moliri hæreticos in Anglia Græcorum Patrum, quos tum ex aliis tum ex regia ipsius Bibliotheca eruerent euulgationem, non absque magno Fidei periculo, egisset apud Cleri Gallici comitia, vt malo obuiam irent, nostrisque hominibus editionis Patrum curam adiutis nonnulla pecunia Typographis commissam vellent; Consauciauit ea res non tantùm hæreticorum sed etiam aliorum quorundam animum, qui vel Societati non vellent optime, vel sub Catholico nomine hæresim fouerent. Hi ergo Schismaticum quendam è Græcia monachum Ioasaphum Parisiis

nacti

nacti literas ad Constantinopolitanum Patriarcham Raphaëlem Clerumque ipsius scribere illi suadent, quibus hortaretur nostræ vt profectioni animose obniteretur; Viros nos esse ex fraude & dolis compositos, Regionum perturbatores, & qui non alia causa ad illos moliremur accessum, nisi vt Patrum Græcorum veteribus spoliaremus codicibus, quos more nostro peruerse posteà editos dogmatibus Ecclesiæ Græcæ propugnandis inutiles ad ipsos remitteremus. Fecit vagus ac nequam monachus quod suasus erat diligenter, ac nisi maior fuisset Legati Regij apud Patriarcham quam ipsius fides, negotium funditus disturbasset. Sed Legato de nobis meliora spondenti credere ille maluit, literasque monachi in Galliam remittendas ei dedit. Rex vt eas literas vidit, excanduit videlicet in eos quos illis in literis scribendi authores sibi fuisse monachus perscripsisset, grauiterque erat aduersus eos consulturus, nisi illi re abnegata Græcam Monachi fidem accusassent; quam cum ille non satis purgaret, exilio luit. Restitutum deinde negotium, ac Romæ apud Pontificem, Societatisque nostræ Præpositum Generalem denuo agitatum, hoc demùm anno Rege non exiguam pecuniæ summam attribuente, nostrisque illo proficiscentibus felicia accepit initia. Hæc vero studia atque opera Cotoni, quæ aliquot iam annis in Aula Franciæ suscipiebat, ita illum toto Regno commendabant vt eius famam non tantum vltrà Regni, sed etiam vltrà Europæ terminos ad vltimas Indias propagarent. Nam hoc ipso anno Matthæus Riccius, qui lucem Euangelij nostrorum princeps in amplissimum Sinarum Regnum intulit, cum abiturus è viuis monita ad virtutem quodam quasi testamento suis legaret, hæc inter cæ-

tera vt ſcribit Trigaultius libro quinto expeditionis Sinicæ, intermortuis prope vocibus pronunciauit. Ego P. Petrum Cotonum qui apud Regem Galliæ degit, in domino plurimum amo, ad eum tametſi ignotum pro eo quod Dei gloriam promouit hoc anno ſcribere & gratulari ſtatueram, eumque priuatim de noſtræ miſſionis ſtatu reddere certiorem, nunc peto à vobis vt quoniam mihi hoc omnino præſtare non licebit, vti me apud eum excuſetis.

CAPVT XI.

ANNO CHRISTI 1610. — ÆTATIS COTONI 47.

Henrico Rege deteſtabili parricidio ſublato, Cotonum à Ludouico Filio amouere infami libello ſatagunt maleuoli.

DAbant ſe poſthæc Cotono initia anni ſexcenteſimi decimi non ſolùm tranquilla, ſed etiam Societati fructuoſa. Semel enim illi profeſſus Rex Auguſtiſſimus nolle ſe pati vllam in Regno ciuitatem alicuius nominis in qua Societatis noſtræ Collegium non inſtitueret, vt refert Cotonus ipſe capite ſexto Apologiæ pro ſe ſcriptæ, & promiſſis ſtare pergebat egregie, & difficultates ſi quæ obſtarent fortiter ſuperabat. Itaque ineunte hoc anno, Cadomenſis Collegij natalia extitere, quibus multiplici obſtaculo impeditis Cotonus ſedulitate & precibus apud Deum Rex crebris præciſiſque imperiis, quaſi manibus ſalutaribus eſt obſtetricatus; Neque verò impunè quiſquam iſtis eius conſiliis obuiam iit, quin & in offen-
ſionem

ſionem & cum primum illi occurreret,in acrem etiam obiurgationem incideret. At Cotonus moderatione maxima eius beneuolentia vtebatur, nec facile quidquam poſtulabat quod non auferret, quia nunquam niſi conſideratiſſime poſtulabat. Etenim vices Dei alterum ergà alterum gerere mutuo agnoſcebant; Cotonus Regem, vt quidquid Societati ab eo impetrare nitebatur non beneuolentia magis quam modeſtia obtineret. Rex autem Çotonum, vt quidquid ad conſcientiam attineret,in eo eſſe ſatisfactum Cotono magnopere optaret. Quamobrem teſtatus eſt Perronius Frater Cardinalis, Regij tunc conſiſtorij Conſiliarius, poſteà Archiepiſcopus Senonenſis, audiſſe ſe hoc anno Vicennis Regem apud aulicos aſſeuerantem. Nullum ſibi vnquam cognitum hominem ingenio demiſſiore ac modeſtiore quàm Cotonum, quem nullus aulæ fauor extolleret, nulla Procerum familiaritas audacem faceret, nulla infimorum obſeruantia imperioſum. Quo teſtimonio nullum haberi de Cotoni aduerſus Regem modeſtia potuit illuſtrius. E contra verò quantum in iis quæ ad conſcientiam pertinent,Cotoni ſententiæ ſtare Rex cuperet inſigni per hæc vt opinor tempora argumento eſt proditum. Refert enim Duuallius Doctor Sorbonicus concionatorem quempiam ac Doctorem, qui regnante Henrico III. magna eruditionis fama floruerut, librum Henrico IV. contra Caluinianum quendam Miniſtrum abs ſe conſcriptum obtuliſſe. Cumque Rex ſciſcitatus eſſet,quid in illo rei pertractaret, reſpondiſſe Prædeſtinationem. Rem, inquit Rex, ſane difficilem & magnam! Sed ego quod Cotonus de ea credit idipſum plane credo. Subſtitit ille; nec auſus repugnare, & inſtitutum eius laudauit & Cotonum. Simile fere eſt quod memini

audire

audire me ex Cotono, ſeptimo poſt hunc anno, nullum Regi tempus maiore conſcientiæ cura virtutiſque impenſiore ſtudio exactum quam hunc annum qui illi extremus fuit, quod tum aliis, tum hoc exemplo docebat. Bellum enim Rex inſtruebat apparatu ſitis circum gentibus formidabili. Cuius belli cum cauſas & auxilia familiariter in cubiculo ſecretiore ſoli Cotono ediſſerere voluiſſet. Ille qua erat ſinceritate & animi fortitudine non diſſimulauit, hoc vnum ſibi gloriæ ipſius ac ſalutis ſtudioſiſſimo dolere plurimùm, quod negotium totum & hæreticorum hominum cauſa ſuſceptum & hæreticis auxiliaribus tranſigendum videretur. Cui Rex, amo vero, inquit dolorem tuum ſalutis meæ amantem, ſimulque conſilia ſua altius aggreſſus explicare, tam abunde docuit mentem ſibi tantum eſſe oppreſſis amicis opitulari, non tantum nullo Religionis detrimento ſed etiam multo maximo ſi res ſuccederet commodo, vt Cotonus ſibi plane ſatisfactum, quod Rex magno ſatagebat opere, exiſtimarit. Verùm hæc conſilia oppreſſit poſt paucos menſes execrabile Regis Optimi Maximique parricidium, quo non tantùm Societatis ſed etiam totius Galliæ cor conuulnerari ac concidere eſt periclitatum. Adfuit tamen diuina prouidentia ac bonitas quæ non tantum Regno Regique Ludouico puero ſapientiſſimam fortiſſimamque moderatricem, ſed etiam Societati noſtræ patronam ac conſeruatricem amantiſſimam Reginam Mariam Mediceam illicò attribuit. Ad eam enim cum altera die à funeſta clade Patres aliquot è noſtris ſalutandi & condolendi cauſa aduenissent, & Cotonus pauca quædam dolore & lacrymis oppreſſus peroraſſet; Illa rerum gerendarum inter lacrymas non immemor. Te vero inquit mi Pater, adeſſe mihi

de

de more volo, Filioque meo à confeſſionibus & concionibus eſſe quemadmodum Parenti fuiſti. Parabatur intereà illius iuſſu donum noſtris optatiſſimum, Cor Regis demortui, quod ille fiduciæ amoriſque in nos ſui teſtandi cauſa multis ante mortem annis, in Collegij Flexienſis Eccleſia quam exædificabat mandari ſepulturæ, ſi quid humanitus contingeret, imperarat. Id illi de vnius è Regia conſanguinitate Principis manu ſuſceptum Regio in curru inter cereos crebraque funalia longiſſimo Vrbis tractu elatum, in Eccleſia noſtra Pariſienſi depoſuerunt, & ſacris funebribus per dies aliquot procurarunt. Quo tempore obſeruata eſt à multis Cotoni æquitas animi, qui cum ſibi periiſſet charitatum omnium ſuauiſſima & maxima, atque vt mox conſtitit in tanta hominum temporumque iniquitate maxime neceſſaria, tamen inter pias lacrymas & vota pro ſalute Regis demortui, nihil de inſtituto ſiue diuina meditandi, ſiue agendi cum proximis, ſiue libros quos habebat præ manibus, ad vmbilicum perducendi labore atque ſpatio ſibi paſſus eſt decidi. Decimo quinto pòſt die Flexiam verſus cum Regio pignore inſtituta profectio, viſendo Aulicorum in veſtitu lugubri, noſtrorumque in Sacerdotali cultu dum per Ciuitatem iter fuit, ſpectaculo, digreſſis poſteà præter aliquot primarios Aulicis & effundentibus ſe in occurſum pagis oppidiſque, habitæ à noſtris vbi viſum eſt opportunum conciones funebres in Regis commendationem: ſicque appulſum Flexiam, atque apparatu ſpectatiſſimo in primarium templum Regium cor delatum, & vbi Cotonius concionem abſolutiſſimam de Rege in ſacris funebribus pronunciarat, in templo noſtro inter elaboratiſſima Epitaphia conditum fuit. Sed hæc dum Flexiæ
V fiunt

fiunt, turbulentissimam nostris ac Cotono inprimis tempestaté Parisiis apparabat infernus hostis per satellites suos aut Hæreticos, aut hæreticum animum Catholico nomine ocultantes, quibus nihildolebat vehementius, quàm Regis Ludouici lateri Cotonum inhærere, Christianæ legis dogmata ei instillare, Romani Pontificis amorem & reuerentiã suggerere, hæreticorum fraudes detegere, diuinique in primis numinis amorem ac timorem inculcare. Hi enim intereà, cum aduersus Societatem communiter nonnulla essent maligne fabricati, maledicentissimum peculiariter libellum cui Anticotono nomen erat, procuderunt, in quo non tantùm collectam regnante Henrico in Cotonum inuidiam copiosè effuderunt; sed etiam Societatem totam per eius quasi latus crudelissimè lacerarunt. Vbi Parisios est reuersum, & totis compitis nihil aliud nisi infamis libelli nomen, & pluribus Ecclesiarũ pulpitis nihil nisi calumniæ in Societatem audiebantur. Sed Reginæ prouidentia tunc factum vt Institores tam profani mercimonij grauibus pœnis propositis celeriter coërcerentur, & non longe posteà diuinæ Iustitiæ vindicta, vt calumniosi concionatores acerbas probrosarum vocum pœnas dependerent. Nam eorum vnus seditionis per conciones flabellum, Romæ quo legatus fuerat, ad Fidei Inquisitores abreptus, vitam quatuordecim annis miserè productam in carcere deposuit. Alter, Curio Parisiensis & Theologus atrocium conuictus flagitiorum Ecclesiastico carcere quem pluribus annis incoluit effracto, Geneuam euolans in hæresi est mortuus. Tertius, Dei verbo pro libidine in concionibus ad populum abutens Parisiensis Episcopi sententia, Concionibus tota diœcesi est interdictus. Cotono vero animus erat adeo excelsus ac

sibi

ſibi præclare conſcius, vt nemo in eo vel perturbationis vel deiectionis vllum obſeruarit veſtigium. Ac ſtatuebat ille quidem ſi ex animi ſui ſententia rem geſſiſſet, ſilentio & patientia Aduerſarios vlciſci; ſed aliter viſum eius moderatoribus, qui calumniam vaniſſima ſibi trophæa de innocentia conſtituere, Chriſtianæ rei non conducere cenſuerunt. Iuſſus igitur Apologiam texere, vulgatas in Societatis commune nomen calumnias validiſſime diluit, priuatim verò in ſe iactatas ſuis verbis modeſtiſſime, ſed teſtimoniis ciuitatum ac prouinciarum vnde illi ferales calumniæ erant accerſitæ, ita profligauit, vt perpetuas notas calumniatorum ſuorum frontibus ad memoriam ſceleris ſempiternam inuſſerit; quorum teſtimoniorũ partes aliquas cum ſe occaſio obtulit ſuprà recitauimus. Potuit poſteà Aduerſarios etiam ſuos per illum ipſum confutare vehementius, qui ſcribendo Anticotono manum commodarat, & calumniarum fabricatores earumque falſitatem nullo negotio prodere. Nam ille facti pœnitens, Religioſæ ſe vitæ addixerat, operamque ſuam ſarciendi quod inferre erat conatus detrimenti, auidus Cotono offerebat. Sed ille veritati ſatisfactum ratus, vindictæ & Aduerſariorum nomini parcere maluit. Cæterùm Regina Regni moderatrix, Principeſque ac Proceres qui illi aderant in conſilio, cum facile intelligerent quorſum pertinerent hæ calumniæ, & oblatam ſibi Anticotoni lectionem plerique ſunt abominati, & Cotonum Regi quotidie magis admouendum cenſuerunt. Atque vt omnis hæreticis ſpes excideret, non tantum ille Regem deinceps ad Miſſam, ad Veſpertinas preces, & aliò aſſiduè eſt aſſectatus. Sed etiam cum Regia ſubinde Remis celebraretur inauguratio, bis ter-ve confitenti aures in pu-

blico accommodauit. Inter hæc autem quàm inuicto solutoque animo degeret, vel id vnum fuit argumento, quòd præter editionem Institutionis Catholicæ quam tunc pertexuit, & Apologiæ contra Anticotonum quam suscepit simul & perfecit; noua hoc anno opera, quia per Regis ætatem minus erat apud eum occupatus, designare atque aggredi non dubitarit.

CAPVT XII.

ANNO CHRISTI 1611. — ÆTATIS COTONI 48.

Cotonus graui tempestate à restituendis Collegij Parisiensis exercitationibus depulsus, nostros Rodumnæ & in Canada collocat.

SEd intercessit anno sexcentesimo vndecimo priuatis hisce occupationibus publica in Societatem tempestas, cuius exsuscitandæ occasio huius fuit modi. Studium erat Cotono incredibile, & Hæreticos errore abducendi & Societatis opera propagandæ. Eamque ob rem cum non rarò apud Regem Henricum questus esset, nullam esse in Regno Academiam quæ magistrum haberet earum controuersiarum quas Ecclesiæ hodierni mouent hæretici: Rex sermone ea de re habito cum Cardinali Ioyeusæo & Perronio Consistorij Consiliario, cum aduertisset non dissimilem esse eorum querelam, coram Cotono ad se euocato imperat vni Amanuensium vt Literæ conscriberentur, quibus potestas nostris fieret Scholam Controuersiarum in Claromontano Collegio Parisiis instituendi. Nam cæteras disciplinas ibi doceri donec Collegium Flexiense adoleuisset,

adoleuiſſet,non placebat. Ex literæ cum viuente Rege vim non habuiſſent, quod nonnulli vererentur ne ad publicas Académiæ Cathedras hac data via noſtri irreperent; multiſque agerent apud Regem ne ante, vnam Scholam Collegio Claromontano redderet quam omnes; quòd illa vna diſcipulos tantum veteres Academiæ ſubductura, non nouos aduocatura videretur; ſecus autem eſſet eueuturum ſi omnes ſimul reſtituerentur. In quo etſi illi vere, callide tamen ratiocinabantur, cum intelligerent omnium Scholarum reſtitutionem Regi nondum cordi eſſe. Sed eo inter has moras triſti fato ſubtracto, Præſes Thuanus, qui probè agnoſceret, Academiæ Pariſienſis ſolitudinem non aliunde eſſe quam ex eo quod flos adoleſcentiæ Gallicæ ad Flexienſe aliaque noſtra Collegia conflueret, tentandum ratus vtrum is cum Magiſtris Pariſios poſſet reuocari, Cotono aſſiduus inſtabat vt Collegium Claromontanum ſuis reſtitui exercitationibus ſatageret. Quod cum noſtri quoque non mediocriter cuperent, Cotonus eſt perſuaſus vt à Regina Moderatrice alias poſtularet Literas quibus genus omne diſciplinarum Collegio Pariſienſi reſtitueretur, nullas iam moras obiiciente Flexienſi, quod in eam iam magnitudinem ac frequentiam quam Rex Henricus optarat perueniſſet. Has Literas cum Regina humaniſſime conceſſiſſet, Cancellarius lubens obſignaſſet, noſtrique vt ſolet Senatui recognoſcendas atque in acta referendas obtuliſſent, interceſſum eſt ab Academiæ Rectore; noſtrique etſi anno propè vno ceſſarant, nec vltrò tendere conſtituerant, coacti tamen ad extremum, in ius ambulare, triduum ipſum conuitia & calumnias tota Europa in omnibus Lutheranorum, Caluinianorum, atque id genus hominum officinis millies

millies recoctas,præsentes pertulere. Inter quæ mirifica fuit Cotoni animi magnitudo, siue in Societate ab obiectis calumniis vindicanda, quod ille impenso semper studio fecit; siue in eorum animis, qui se à nobis visi erant eo in negotio abalienasse, reconciliandis; siue in eorum qui in Senatu, vel in Academia quidpiam censebantur posse, voluntatibus promerendis,si quando retractandum esset negotium:cui tamen aliud tempus, aliamque operam diuina reseruarant consilia.Sed ille intereà cogitationem de Societate nunquam deponens, Clarissimo Viro Iacobo Cotono Domino de Cheneuoux Fratrum suorum natu maximo, aut dedit aut auxit animum, Collegij Rodumnæ apud Segusianos nobis in auitis ædibus instituendi.Qua de re hæc ad illum in quibusdam literis verba facit. Gratias Deo habeo ob spiritalia ac temporalia bona quibus te cumulauit, oroque eum quotidie vt eorum nos intelligentes faciat & perpetuò gratos. Fundatio Collegij opus est eorum quæ Deo potes offerre maximum & acceptissimũ, posteaquam ei & liberos & teipsum sponte deuouisti. De liberis quod dicit, pertinet tum ad Ignatium Cotonum, qui Societati ab eo sponte traditus, non diu posteà in illa sanctè est mortuus; tùm ad Filias eius aliquot quæ annitente Cotono nostro, vitam susceperant præclareque degebant, religiosam.Alio vero loco sic scribit. Festina Fundatoris nomen assequi. Nam sacrificiorum millia duodecim quæ à Societate tunc obtinebis, immenso erunt tibi tuisque rebus præsidio.Fecit Iacobus quod monebatur,& præter ædes quas dixi,loco amœnissimo sitas, stipendiaque operariis nostris liberaliter attributa,Ecclesiam etiam egregij operis à fundamentis exædificauit, de cuius ædificij impensis quæ ad me

ipse

ipſe ſcripſit, quia inſignes Cotoni noſtri virtutes aperiunt, hic iuuerit referre. Vnum,inquit, eſt quod forte aut non norunt omnes, aut non credunt, cum tamen ſit veriſſimum. Cotonum ex incredibili Regum duorum & Reginæ erga ſe gratia, non tantum nihil ſibi priuatim commodatum voluiſſe; ſed ne fratri quidem primogenito & tunc vnico, niſi quod annuū illi de Regio ærario congiarium aliquandiu impetrauit; cuius tamen vt ſumma omnis ad Collegij Rodumnenſis, quod ille fundarat, ædificandam Eccleſiam conferretur, eos Eccleſiæ fines curauit deſignari, quibus nec ea pecunia,nec multo amplior fuerit ſatis. Nimirum ſolitus erat dicere, nulla ſe religione tangi ſi quid accuraret, quod Societati vel Eccleſiæ publicè commodum eſſet; ſin autem ſuis,externa id genus commoda & fortunas priuatim quæreret, vereri ſe magnopere ne ſibi in ſuis commodaret,gratuitamque in fronte profeſſus operam, mercedem à tergo admitteret. Ita fere Iacobus de Fratre. Cæterum vix iſtud Cotonus noſter inchoarat cum aliud molitus eſt opus, vt Societati maxime conſentaneum quia laborioſiſſimum,ita ad Dei gloriam præcipuum. Regio enim eſt latiſſima in conſpectu Oceani Gallici, vel ex Regno noſtro Noua Francia, vel ex præcipuo fluuio Canada haud pridem nominata; poſitione & ſoli fœcunditate, ſi coleretur,Galliæ non diſpar: quam hominum millia multa, gens fera ac plane ſyluatica percurrit magis quam inhabitat: ita illis vita tota venando & ſedes mutando tranſigitur. Huic genti Religionis lucem, & morum cultum per noſtros vt inferret Cotonus multum apud Regem Henricum ſategit donec ille vixit, neque defuit tam propenſæ in Dei gloriam Cotoni voluntati Regia vel approbatio vel commendatio.

datio. Sed quòd vel nulli, vel non multi Galli certas ibi ſedes adhuc poſuiſſent, nonnulla iam tum pecunia in viaticum attributa expectare iuſſit dum ſibi quidpiam certius à Viris aliquot explorandæ regionis cauſa eo miſſis renunciaretur. Hæc agenti mors interuenit nobis ac bonis omnibus luctuoſiſſima; nihiloque minus cum ad Ludouicum Filium, Matremque Regni moderatricem, qui exploratum ierant, hoc anno rediiſſent, redintegrato Cotonus ſtudio agere cum Regina inſtitit, vt quæ Maritus tanta virtute ac pietate deſtinaſſet, Ipſa effecta vellet, nauique ad Canadenſes proximè ſoluturæ duos è noſtris, qui viam cæteris patefacerent, iuberet imponi. Annuit illa, munificeque reſpondit deſiderio. Diepam ergo, vnde erat ſoluendum, miſſi qui illam expeditionem primi tentarent Petrus Biardus & Enemundus Maſſæus, Nauem quæ ſola eo anno ad Canadenſes adornabatur, comperiunt in Caluinianorum poteſtate eſſe: qui vt de noſtris inaudiere, palam atque aſſeueranter edixerunt, Ieſuitis locum in ſuo nauigio non futurum; neque vllis vel Reginæ imperiis, vel Diepenſis Præfecti denunciationibus ad ea ſe patiebantur ſententia deduci. Hîc Cotonus inopinata difficultate erectior, Antoniæ Pontiæ Marchioniſſæ Guercheuillææ, grauiſſimæ Fœminæ, quæ noſtros iam liberali viatico iuuerat, perſuadet vti ad percellendos Satanæ conatus, qui boni operis frugem perdere ſatageret, auxiliarem ſibi manum tendere vellet. Itaque illa pauciſſimis diebus, quà eroganda quà corroganda pecunia, eam ſummam conflauit, quæ Caluinianis illis nautica Societate depellendis ſufficeret, noſtriſque ſua beneficentia & induſtria mulier cordatiſſima, poſt quadrimeſtrem fere nauigationem, nouum illum bene

merendi de humano genere campum aperuit. Ac licet Anglorum iniuria, quæ nostros bienniò postea captiuos inde abduxit, Eius & Cotoni operam, pro hæretico videlicet diuinæ gloriæ odio, visa sit per aliquot annos retardasse, non tamen aut animum aut conatum extinxit nouæ expeditionis anno millesimo sexcentesimo vicesimo quinto, qui Cotoni extremum præcessit, vt suo loco narrabimus, eas in Regiones suscipiendæ. Cæterum cum Caluiniani, Regum Regnorumque pernicies, Regis impuberis ætate imbecilla audaciores facti, tumultus tota Gallia minitarentur, & vero etiam machinarentur extremo hocce anno, nisi suorum comitiis immoderata postulantibus satisfieret, incredibile est quantùm Cotonus apud omnes quos pietate ac sanctitate excellere tota Europa nouerat, laborarit vt diuinum numen Regi ac Regno precibus impensissimis propitiarent. Vidi ego viri optimi literas, qui Neapoli maxima à Deo beneficia inter Eucharisticum sacrificium solitus erat impetrare: Quibus literis stipulanti Cotono respondebat nullum se sacrificium facturũ quo non Regis Regnique incolumitatem Deo ex animo commendaret. Alterius etiam literas habeò Roma scriptas, qui & Regis & Cotoni ipsius causa, septies in die diuinam se bonitatem sollicitaturum spondet, vt & alterum Regno seruet Fideique Catholicæ propagandæ studio succendat, & alterum illi vtilem ac salutarem præstet.

Capvt XIII.

Anno Christi 1612. | Ætati Cotoni 49.

Societatem Libro ſcripto, multaque ſedulitate intentatis calumniis eximit.

NE nihil nouæ exercitationis Cotono ac noſtris, quod ſingulis fere annis inſigniter hactenus fecerat, Infernus tenebrio adderet; Cauſidicum, qui contra nos in Senatu anno ſuperiore tres dies erat debacchatus, eò impulit hoc anno vt actione ſua typis euulgata totius Galliæ oculos atque animos turpiſſimis mendaciis impudentiſſimiſque calumniis inficere non dubitarit. Sed non defuit Societati Cotonus, nec vllam quietis partem cepit, donec per ſe vel alios luculentiſſima teſtimonia ex omnibus Europæ regionibus accerſeret, quibus Pontifices, Reges, Nuncij Apoſtolici, Epiſcopi, Principes, eorumque Cancellarij nos ab obiectis à cauſidico criminibus vendicarent. Quæ ille teſtimonia cum inſeruiſſet in librum defenſionis noſtræ cauſa, Aduocati noſtri nomine abs ſe egregie hoc anno elaboratum; & accuſationis noſtræ architectos ſi non quo par erat pudore ingenti certe dolore; & probos omnes eximia gratulatione compleuit, quòd aduerſus tantas moles calumniarum & hoſtium, ſingulari Dei benignitate Innocentiam noſtram non tantum tuto, ſed etiam illuſtri loco per ea teſtimonia collocatam viderent. Sane quocumque hic Cotoni labor penetrauit, mirabiles in hominum animis commutationes effecit.

Ambianos

Ambianos beneuolentiſſimam nobis ciuitatem ſummiſſus erat Cauſidici liber, vt aliquam forte beneuolentiæ labem afferret: & mouerat duorum hominum animos, vt eius calumnias pro veris noſtris criminibus iactarent in vulgus, ſed fecit eorum lectio quæ Cotonus adornauerat, vt Magiſtratus vtrumque duci iuberet; alterique multam; alteri eam ignominiam, nobis nequidquam deprecantibus, imponeret, vt nudatis capite ac pedibus, nixus in genua, ſola tectus interula linea, ardenſque funale manu præferens, quæ dixerat, in publico retractare noxæque veniam à Deo & nobis abſentibus ſupplex poſtulare cogeretur. Iam Rothomagi cum eundem Cauſidici libellum Bibliopola quiſpiam prælo de integro committere, latiuſque vulgare inſtituiſſet, Senatus Rothomagenſis id graui interdicto vetuit, & Chalcographum minus dicto audientem ea coërcitione repreſſit, vt prælo iam eductas ſchedas igne vſtulatas videret. Quid? quod apud ipſos etiam hæreticos veritatis voces valuere? Nam Neraci in Aquitania, vbi tunc Senatorum Burdegalenſium decuria altera parte Caluiniana reſidebat, idem calumniarum contextus cum venalis circumferretur, Senatorum conſulto decretum eſt, vt publice concerperetur, nefariæque mercis propola ad tempus non breue in carcerem compingeretur. His rebus videri poterat longa Cotono ac nobis parta tranquillitas, ſed res ei erat cum Dæmone hoſte importuno atque inexpiabili, qui vix iſta defuncto nouam illi apparauit Tragœdiam, eo triſtiorem ac moleſtiorem quo magis improuiſam. Nam fluitantem adhuc in ſalo Societatis famam, mox denuò tempeſtas excepit, perque ſcopulos ſane periculoſos tranſmiſit. Intenta quippe in omnem occaſionem maleuolentia,

cum nihil in Gallia comperiret quo nocendi ſitim explere poſſet, media è Germania commentarium quendam Martini Becani accerſiuit, è quo decerpta quædam capita, temporum atque hominum inuidiæ obiiceret. Nec dubium erat quin ſi in ea inſtitueretur tunc quæſtio, ſumma quædam iudicij ſeueritas foret pertimeſcenda. Verùm Regina à Cotono monita, quantum ab æquitate atque humanitate ipſius abeſſet, ſi vel vnius cuiuſpiam verba in alios eiuſdem nominis atque inſtituti homines vindicari, vel ea quæ erudititſſimæ etiam linguæ vix ſatis cautè norint euoluere in vulgi ſermones deduci ſineret; benigno edicto denunciauit, non placere de illo commentario quæſtionem à quoquam haberi. Retulit poſthæc liberiorem paulò animum Cotonus ad ſolemnia pietatis negotia. Quanquam ea erat in eo animi firmitudo & capacitas vt nulla eum negotiorum vel multitudo vel difficultas perturbaret. Solebat enim de eo dicere grauiſſima fœmina Domina de Fleuri Villaregij clariſſimi Viri ſoror, quæ domi ſuæ Cotonum diu habuerat inquilinum: Nullum ſe vidiſſe hominem magis occupatum, nullumque minus impeditum. Ergo nobiliſſimo gratiſſimoque omnium, quæ haberet negotiorum, Regis iam adultioris ad pietatem inſtitutioni alacrius iam intentus, tàntum illi rerum Chriſtianarum ſtudium indidit, vt & earum auditione ſuauiſſime teneretur, & cum accepiſſet in Pariſienſi Nouitiorum noſtrorum æde certamen inter primarios pueros de Chriſtianæ Fidei elementis hoc anno inſtitutum, intereſſe ipſe voluerit, præmiaque ſingulis pro eruditione diſtribuere. Qua in Regis inſtitutione quantum promouerentur Regni totius & præſentes commoditates & futuræ expectationes declararunt

Regni

Regni Comitia duobus poſt annis. In quibus Ordo Eccleſiaſticus ampliſſimis verbis Reginæ gratias de omnium Ordinum ſententia habuit; quod tam Chriſtianè ac piè Regem educari curaret. Cæterum vbi Cotonum inter hæc aliaque eius generis opera defecerant dies, nocturnæ excipiebant lucubrationes, quarum opera hoc & proximis aliquot annis conſtitit, in tomo vno Meditationum Sacrarum, & duobus Concionum.

CAPVT XIV.

ANNO CHRISTI 1613. & 1614. | ÆTATIS COTONI 50. & 51.

Hæreticis & deluſis arte Malefica, vt ad Fidem & Sanitatem redirent, egregiè eſt opitulatus.

DVo inter priores aliquot ac poſteriores fluxere Cotono nonnihil ſolito tranquilliores anni, huius ſæculi tertius & quartus poſt decimum. Fuit enim Societati quæ cumprimis illi curæ erat ab hoſtium impugnatione nonnulla tunc quies; quanquam ob communem Eccleſiæ cauſam ne tunc quidem labor illi aliquis aut ſollicitudo defuerit. Enimverò cum ante annos aliquot Benearnenſium Epiſcoporum gratia, multa ad Catholicæ Fidei illa in Prouincia reſtaurationem ab Henrico Rege impetraſſet; illudque in primis vt Catholicas conciones noſtri, quibus id pridem fuerat interdictum, habere illic ad populum poſſent: Viſum eſt hoc anno Senatui Prouinciæ, qui fere tunc è Caluinianis conſtabat, nonnulla aduerſus Henrici

decreta

decreta populorumque ſalutem conſtituere,in quibus illa duo fuere capitalia; ne Catholici concionatores plures tota Prouincia eſſe poſſent quam quatuor,cum Miniſtri Caluiniani eſſent ſexagenis plures; & , ne confitentibus aures præbere noſtris liceret. Quæ vbi Cotono fuerunt renunciata, exarſit videlicet iuſtiſſima ira, tantamque Diuinæ ac Regiæ Maieſtatis iniuriam tam impatienter tulit, vt nullum fecerit finem; facinoris illius apud Reginam, Regiumque Conſiſtorium ſuis coloribus depingendi. Ac niſi maxima tunc fuiſſet temporum iniquitas, obtinuiſſe videbatur vt res tacita non præteriret. Illud certe confecit, vt Aulæ conſtaret, magno remedio cum ſe occaſio daret, malo illi faciendam medicinam; quam ſane non multis poſt annis alia opera, ſed non alio diuinæ gloriæ ſtudio factam ſibi Benearnenſes gratulantur. Hæc dum gererentur Pariſiis, inſignis agebatur Tragœdia Nemauſi Arecomicorum, quæ multum Cotoni operam Chriſtianæ rei gratia habuit occupatam. Etenim cum ante annos quatuordecim conciones illic, vt libro primo ſcripſimus, magna hominum gratia haberet: Ieremiam Ferrerium hominem florentiſſimi inter Caluini Miniſtros nominis, nonnulla ſibi amicitia vſuque familiaritatis coniunxerat, nec vanam iam tum ſpem conceperat, animi eius ab errore abducendi. Dum tamen ille neſcio quibus ex cauſis rem differt, autor ei fuit Cotonus ad diuini luminis gratiam promerendam hoc ſaltem intereà publicæ Regis ac Regni tranquillitati conferret, vt in hæreticis conciliabulis, Caluinianos ideſt ſeditioſos impetus ſuorum, pro ea qua apud eos erat authoritate comprimeret ac demulceret. Cuius conſilij ille memor, Henrico IV. ſeditioſorum domitore humanis rebus exempto, Cotono

tono per literas ſpopondit ſe Reipublicæ cum maxime vſus foret operam nauaturum Regiſque ac Reginæ nomine ab illo oprime animatus promiſſi aliquandiu fidem expleuit. Sed vix illum ſemel atque iterum mitia ſectantem conſilia , Caluiniani ex furore ac ſeditione plane compoſiti, obſeruarant, cum iactare ceperunt diſceſſionem illum à Caluiniſmo meditari Regia redemptum pecunia, eamque ob cauſam Caluinianum illi Miniſterium abrogarunt. Quo ſacrilego munere , non ab illis violentius quàm à ſeipſo cupidius exutus Pariſios ad Cotonum venit, & ab eo Reginæ impenſe commendatus inter Nemauſenſis Curiæ Conſiliarios eſt allectus. Sed ne hic quidem quieſcere per Sectarios ei licuit , qui turbulenta plebe excita, ferro, flamma, lapidatione in rem eius familiarem, graſſati , Pariſios illum rurſum cum ſuis perfugere compulerunt , vbi cum hæreſim aperte iam eieraſſet, ſeque ac ſua in Cotonum proieciſſet , opportunis Regis Clerique Gallici remediis in tuto eſt collocatus. Hos atque alios Cotoni labores non qua homines vulgò æſtimant mercede, ſed qua ipſe ſummæ benignitati ſe maxime obnoxium crederet, viſus eſt Deus tunc rependere , cum Nepotem eius vitæ innocentia ſpectabilem è Societatis Tyrocinio in emeritas Cœleſtium turmas cooptauit. De eo ſic ſcripſere literæ anni decimi tertij poſt ſexcenteſimum è Pariſienſi tyrocinio datæ. Ignatius Cotonus annorum duo deuiginti adoleſcens , octo menſium continenti grauique vexatus morbo, Niuerni quo venerat mitioris cœli hauriendi gratia , occubuit. Tyro multiplicium præcellentiumque virtutum ſtudio clarus , qui ſi euaderet in virum, expleturus videbatur eximiæ religionis numeros , ita eum natura expreſſerat , & finxerat cultura ad Inſti-

tuti nostri maxima quæque decora. Quo vero animo mortem eius acceperit Cotonus patruus, docet pars ista literarum quas ad Tyronis Patrem dabat sub eius decessum. Illustrissimus, inquit, Dux Niuernensium, & Reuerendissimus Episcopus, magno nos obstringunt beneficio, quod Ignatij Cotoni curam gerunt. Verum multo maximum tibi mihique erit à Deo munus, si illi cordi fuerit, ipsum hoc statu animi euocare ab hoc mundi cœno, cuius me tam crebrum tamque graue tenet fastidium, vt inter mortis maximum desiderium, sola mihi insit vitæ ex Dei voluntate tolerantia. Accipe nunc quæ Cacodæmoni implacabiliter hactenus insæuienti Cotonus reposuerit anno eiusdem sæculi decimo quarto. In Cantabria inferiore quæ ditionis est Gallicæ, & Pyrenæorum montium interiectu ab Hispanica discluditur, aut insito genti vitio, aut longa Christianæ institutionis penuria, tam late patens Magiæ ac Maleficij regnum nequissimus sibi spiritus constituerat, vt Sacerdotali Plebeioque Ordine ea passim labe infecto, nulla Burdegalensiū Quæsitorum seueritas, nullæ cruces, nulla busta eum de possessione possent depellere. Quæ res cum Cotono à Burdegalensibus fuisset renunciata, autor ille fuit Reginæ moderatrici Regni, vt volente Senatu nostri eam in Regionem excurrerent, qui proposita impunitate iis qui Exorcismis & Sacramentorum vsu Dæmonis in se potestatem abiudicare vellent, suauibus remediis malum sanare conarentur. Laudauit Regina consilium, sumptibusque eam in rem attributis, nostrorum aliquot eò voluit destinari. Ergo qui missi fuere, nondum discusso præteritorum iudiciorum ac suppliciorum terrore, pauculis initiò hominibus persuasere vt Ecclesiæ remediis vti audacter vellent. Sed posteaquam

poſteaquam eos qui erant vſi Dæmonum iniuria, & ſagarum incurſu in diuturnum tempus liberatos eſſe vulgabatur, bene magni cœtus adoleſcentum qui tenelli adhuc & doli neſcij, vel à nequiſſimis Sacerdotibus vel à Sagis Orco erant deuoti; nec pauci ſenes, qui quadragenariam vel longiorem ſeruitutem Dæmoni ſeruierant, ad noſtros abiecto pœnarum metu accurrerunt, tam vberi euentu, vt menſibus minus quam ſenis, ſexcenti homines Tartareo ſoluti auctoramento ad Chriſtiana ſacra reuocarentur. Conatus eſt, vt puto, ſe Dæmon vlciſci, ſed imbelli atque infelici vindicta. Nam in primis hominem illi quempiam exciuit diris melancholiæ vaporibus in dementiam verſum, qui cum delira quæpiam ab eo frequenter poſtulaſſet, mollemque ſemper ac morbo quo tenebatur conſentaneā reſponſionem tuliſſet; pertæſus tandē ſuauiū verborū, importunus illi ad omnē Palatij, Eccleſiæ, ac Domus noſtræ exitum aderat, pugno interdū aut cubito ferociter impellens, ac poſtulata ſibi repræſentari perurgens. Quem Cotonus cum coërcere facile per Regios miniſtros poſſet, perſeuerauit tamē aliquot annos tolerare, ac quantum poſſet verbis mitigare, donec illi aut ſanitas cogitationē de Cotono ademit, aut morbus eam alio conuertit, aut Dæmoni Cotoni patientia doluit. Tendebat iam in exitum fere hic annus; cum Reipublicæ pacandæ cauſa Rex, Regina & maxima natu Regis ſoror Pictauos & Britones adiere; & Cotonus ſequi iuſſus toti Regiæ Domui, quod hactenus non contigerat, à Confeſſionibus fuit; dum apud Namnetas, Cœnomanos & Carnutes Sacris participaret. Tanta porro eius audiendi cupiditas inceſſerat populos earum regionum, qui tunc primum eum videbant, vt minus quam ſexaginta diebus coa-

ctus fuerit plusquam tricies dicere coram concione vbique admodum numerosa. Post Aulæ reditum Parisios, coacta sunt ad mensem Octobrem generalia Regni Comitia: & pertæsi, vt arbitror, nimis diuturnæ per annos fere duos tranquillitatis nostræ, qui vel Cotoni in Aula gratiam vel Societatis in Gallia restitutionem concoquere non poterant; cum multa hactenus contra nos moliti essent, tum illud nunc sunt aggressi, vt in Societatis Instituto multa annotarent, Regni, vt aiebant, moribus ac legibus aduersantia, quorum emendatio à Comitiis scilicet vel expectaretur vel desideraretur, vt in Gallia vtiliter conquiescere nobis aliquando liceret. Tangebatur intime Cotonus omni Societatis iniuria. Itaque continere se hoc loco non potuit, quin libellos qui hac de re prodierant contrariis scriptis confoderet. Et Comitia adeò non sunt ab Aduersariis nostris permota, vt à Rege expetierint potius, vti Societatem peculiari tuitione foueret, Collegium Claromontanum restitueret, & alia Collegia toto Regno propagaret.

Capvt XV.

Anno Christi 1615. & 1616. — Ætatis Cotoni 52. & 53.

Cum desiderio abeundi Aulica vita teneretur maximo, Fit Voti compos.

Inter hæc adfuit annus huius sæculi decimus quintus, quo Rex Ludouicus iam natu grandior tam illustria puritatis, moderationis, omnisque pietatis specimina præbebat, vt & rediuiuam Ludouici IX. Cœlitibus ascripti imaginem videre sibi Franci viderentur, & sapien

sapientissimæ piissimæque matri Reginæ omnes Regni Ordines qui tunc conuenerant gratias referrent copiosas ob sanctissimam eius institutionem: Quin & in libris hac causa editis ea de Cotono dicerentur, quæ insignem animi eius demissionem magnopere onerarent. Post Comitiorum dimissionem data est opera Regiis matrimoniis Gallos inter & Hispanos, quæ pridem desponsa atque optata à plurimis, insigniter ab aliis impugnabantur. Cumque Regno prope funditus conturbato, pauci ea perduci posse ad optatum exitum sperarent, fertur Cotonus ea asseueratione pluribus confirmasse, felicem totius negotij euentum, vt plus aliquid scire de illo, quam humanitus posset, videretur. Itaque non dubitauit Regi de obiectis difficultatibus differenti aliquando hæc dicere: Mihi, Rex, tam certo liquet matrimonia ista prospere conficienda esse, vti si me hac in re animus fallat, nunquam illi fidem sim in posterum habiturus. Et constitit toto gratulante Regno animo eius fides. Hæc se ex Cotono audisse, cum omnium animos negotij desperatio maxime occuparet, testatur etiam hodie Magdalena de Sancto Iosepho, maiori Carmelitidum Monasterio Parisiis Præfecta. Porrò dum Regina mater virilibus, ac nescio an etiam cœlestibus animis plena, negotio insisteret, nullam cogitationem passa est præuertere eam quæ ad liberorum suorum conscientiam omni ope muniendam pertinebat. Itaque cum spectatissima Cotoni virtus egregiam ei spem faceret, alios capi ex Societate nostra posse, qui eius affectarentur vestigia, duos sibi ex ea depoposcit, Patrem Ioannem Suffrenum maxima tunc Parisiis approbatione hominum, concionantem; & Patrem Marguestaudum Hispaniex linguæ bene peritum; istum vt Filiæ suæ Principi

Hiſpano deſponſæ; illum vt ſibi à Cõnfeſſionibus eſ-ſet. Cotonum enim à Regis Filij latere abſcedere ne ſua quidem cauſa volebat. Qua de re cum ad Fratrem Cotonus tunc ſcriberet, hæc habet inter alia: Magna me cupido inceſſit Reginæ Sororis Regis, Confeſſionum eius audiendarum cauſa, aſſectandæ, munereque meo Patri Ioanni Suffreno cedendi, duabus ex cauſis; Et quia ille multo quam ego melius eo defungeretur, & quia mihi quiete, immo potius ſeceſſu & ſolitudine magnopere eſt opus, quam alibi obtinere me poſſe diffidam, niſi ea in regione, quæ ob patrij ſermonis imperitiam, vna tantum in re non difficillima occupatum me ſit habitura. Sed hæc videlicet illi cupido hæſerat à vehementiore deſiderio depulſo. Incredibile enim eſt quam illi ſemper ſollicita omnia atque ſuſpecta in vita aulica fuerint, quantoque opere egerit, vt per diuinæ prouidentiæ conſilia, licitum ſibi eſſet nuncio Aulæ remiſſo vitam à turbis ſemotam denuò ſalutare. Quid non ille hanc ob rem, dixit, fecit, ſcripſit? Vidi literas eius complures ad Fratrem, ad Viros, ad Fœminas Religioſas, quibus aut propoſitis hinc inde vel perſeuerantiæ in Aula, vel ſeceſſus argumentis, nunc prudens efflagitabat conſilium, nunc diuinam de alterutro voluntatem precibus & ſacrificiis diſquiri, verbis demiſſione amoreque vitæ perfectioris pleniſſimis precabatur. Audi nunc quid hac cauſa ſuſceperit. S. Bernardum Clareuallis Abbatem inter Pontificum ac Principum virorum, aulas vitam duxiſſe diuturnam atque in primis ſanctam iampridem gnarus, illum enixe ſtatuit propitiare, vt opem ſibi qua apud Deum valet plurimum, vel ad abdicandam quamprimùm, vel qua decet cautione ac ſanctitate

retinendam

retinendam aulicam vitam commodaret. Itaque impetrato ægre commeatu ad Monasterium vbi corpus eius est situm, sacrificiorum certum sibi indixit numerum vt diuinam expiscaretur voluntatem. Ac non satis nobis tunc constitit quid ille lucis ad rem suam hauserit à Deo; sed diuinam tamen per se & alios sollicitare bonitatem non destitit, vti sibi mature repræsentaretur missio, auditusque est ab hominibus piis non absque admiratione, cum diceret, Morari in Igne Purgatorio vsque ad Iudicij diem, si ita Deo visum esset, minus sibi molestum fore, quam deponere in Aula vitam. Obtestabatur vero aliquando quempiam magna apud se opinione sanctitatis, feruentes ad Deum sua causa preces impendere, vt Aulicæ commorationis suæ tempus in angustum cogeretur; illoque religionem obtendente, ne forte hoc esset diuinum refugere obsequium, cuius tam multæ occasiones in Aula suggererentur, Ipse è contra vultum sincerissimo rubore suffundens: Hoc vero, inquit, est quod mihi animum maxime pulsat, dum tam paucas à tam multa segete spicas colligo, ac si quid perficio infinita negligentia corrumpo. Quæ ille tanto animi sensu pronunciabat, vt in verbis mens tota appareret. Tanta illi inter perpetua merita sui inhærebat despectio. Fœdum habuit deinceps Gallia annum sæculi decimum sextum ciuilibus bellis; Cotonus autem peculiariter infestum. Græcam enim Ecclesiam, vt narrauimus, missa nostrorum hominum manu iuuare, atque insanitatem si posset reuocare sategerat, nec regiam solum authoritatem, sed etiam copiosas Virorum Matronarumque pecunias eo corrogarat. Omnes tamen labores suos hoc anno quorumdam hominum inuidia prope in irritum deductos conspexit; Nostris qui Constan-

nopoli

nopoli erant per iniquas delationes, tetro primum carceri addictis, tum grandi mulctatis pecunia atque ad extremum Turcicorum Magistratuũ infesto elogio ex parte maiori iussis exulare. Sed ille contra infernorum hostium fraudes atque impetus erecto celsoque animo semper incedens, & sollicitata de nouo piorum hominum charitate, pecuniaria damna bona ex parte resarciit, & nouas operas eo submissas protegere ac fouere non cessauit. Hæc foris; sed domi alta erat Cotono quies inter Aulicas quæ tunc gliscebant dissensiones. Totus enim in id incumbebat, vt fidem suam liberaret in promisso iam olim Opere Geneuæ Plagiariæ; nec tamen intereà satis obtinebat, vt pietas eius, atque ergà dignitate Superiores charitas & obseruantia non in aliorum suspiciones parùm amicas traheretur. Quo pertinent verba hæc illius ad Regem, in Epistola operi quod dixi præstituta. Hinc, inquit, omnibus liquebit, in molestissima mihi commoratione aulica alias in res tempus à me consumptum, quam in negotia vt vocant Status; quæ non minus ab animi mei ingenio, quam à susceptæ vitæ Instituto sunt aliena. Quod si quis etiam voluerit meminisse inter conciones ex ordine solito habitas, & pias occupationes præter ordinem susceptas, Volumen hoc meum consectarium fuisse Institutioni Catholicæ, Tomo vii Concionum, duobus Tomis Meditationum, Apologiæ aduersus Anti-cotonum, libello multiplici precandi ex formula, &. libro de Intima occupatione mentis; is profecto multo magis assentiet iis quæ dico. Atque hæc mihi necessario scribenda fuere, vt calumniæ obuiam irem, quæ seruis Dei absentibus æque ac præsentibus instat sine missione infesta. Sane Cotonum idonea hic vsum defensione, non tantùm ex hoc numero librorum

eius conficitur, sed etiam ex aliis operibus, quæ hic omissa, recensuit tamen in breuiculo quopiam, inter ipsius chartas post mortem reperto. Nam præter opera hæc quatuor ante vitam aulicam abs se edita, Tractatum de Eucharistia, Apologeticum pro Deipara, Acta Disputationis cum Chamiero, & eorum Epitomem; recenset etiam opera quatuordecim in Aula variis ex causis à se scripta & euulgata. Ad illa enim septem quæ in Epistola iam citata numerauit, adiiciuntur in breuiculos: Liber contra Ministrum Gigordum, Epitome controuersiarum, Enchiridion pietatis. Veritas detecta de Henrico Iesuita combusto Antuerpiæ, Actio Montholoni contra Martilierum, Defensio Concilij Tridentini, Defensio Instituti Societatis: His verò omnibus addidit ad extremum post exitum ab Aula, contra Turretinum Caluini Ministrum, Relapsum Geneuæ Plagiariæ. Hæc ergo inter, qui tantum illi otij esse suspicabantur, aliena abs se vt curaret; næ illi & humanæ mentis vires, & probatam tot iam exemplis Cotoni virtutem non satis æstimabant. Sed nimirum diuinæ iam stabat prouidentiæ eum ab Aula abducere, eamque ob rem non ipsum tantum eo quo iam pridem abundabat aulæ fastidio cumulabat, sed Aulæ quoque iam nonnullam ipsius satietatem permittebat, cum optatam ex illis quasi vinculis missionem ei esset anno proximo repræsentatura. Ex quo anno, extremi deinceps Vitæ ipsius libri, commodè ducetur nobis vt opinor principium.

LIBER



LIBER TERTIVS DE VITA PATRIS PETRI COTONI è Societate IESV.

CAPVT PRIMVM.

ANNO CHRISTI 1617. & 1618. | ÆTATIS COTONI 54. & 55.

Aula abscedens Lugdunum Concionatum iit.



VLTIS nominibus exoptatus tandem aduenit Cotono annus decimus septimus post millesimum sexcentesimum. In primis enim hoc anno est elucubratus susceptum ab annis decem & octo Opus, quo Geneuensium plagium in veteri versione Bibliorum de manibus hominum subducenda, vt impurum ac illegitimum Versionis suæ fœtum pro ea substituerent, copiose conuincebat. Quod opus quanti ipse faceret declarauit hisce ad Regem verbis, eius operis fronti appositis. Ab eo, inquit, tempore quo Henrico magno placitum fuit Maiestati vestræ me attribuere, tum vt ad prima Christianæ Fidei elementa Illam erudirem, tum vt precanti, & conscientiæ secreta

creta confeſſione exponenti adeſſem, nullum me illi arbitror obſequium præbuiſſe præter educationem ad pietatem, cum eo conferendum quod aggredior dum id Opus euulgo, quod nunc ad Maieſtatis veſtræ depono veſtigia; ſalutari tuitionis illius vmbra protegendum. Nec eſt quod quis ſuſpicetur ſuo Cotonum ſibi teſtimonio blanditum. Nam Cardinalis Perronius, cuius iudicio in hoc ſcriptorum genere non facile aliud acrius Gallia tulit, tanti illud fecit, vt & perpetuo haberet in conſpectu, & apud amicos proficeretur; Alteram euertendæ in Gallia hæreſi machinam à Cotono, Alteram à ſe intentam. Cotonum enim diuinæ Scripturæ, ſe Sanctis Patribus allata maligne ab Hæreticis vitia in apertum protuliſſe. Iam verò illud etiam Cotono contingit multò optatiſſimum hoc anno, quod Rex Ludouicus, ætate iam ac virtute adultus receptum ante annos aliquot à Matre optima ac ſapientiſſima Regni gubernaculum orſus moderari, hoc faciliorem illi ac iucundiorem ab Aula ſeceſſum præſtitit, quo & ipſe aliena iam omni inſtitutione ſuperior videbatur; & Cotono iampridem expetenti iuſtius, atque ei qui tunc erat Aulæ ſtatui commodius concedebatur. Sane miſſionem ſuam ex Aula non tantum ſibi ipſe magnopere eſt gratulatus, ſed vt aliorum quoque, quaſi de beneficio Dei maximo gratulationem exciperet, Pontiſaram illicò ad Mariam de Incarnatione Carmelitani Ordinis, magna apud ſe iam olim opinione ſanctitatis fœminam acceſſit, cumque ex ea audiſſet, quanto ipſa quoque Cotoni commodo tribueret eum regreſſum ad vitæ priſtinæ tranquillitatem, incredibili exultans gaudio remittere tunc primùm rebus creatis nuncium, religioſamque vitam inchoare eſt viſus. Quare directo

Lugdunum itinere, paucis postquam eò peruenerat diebus in domum Nouitiorum se condidit, precibusque creberrimis ac vehementissimis contendit ab iis, qui Societati illic præerant, vt vnus minimùm annus sibi tribueretur à concionibus, cæterisque cum populo occupationibus liber; quò actæ in Aula vitæ rationibus cum Deo positis collectoque ad nouos labores spiritu alacrior subinde ac vegetior posset in publicum redire. Sed votis hisce intercessit Episcoporum populorumque voluntas, qui vocem eius è suggestis eo efflagitabant vehementius, quo illa impatientius diutiusque caruerant. Itaque in primarium Lugdunensium templum; altero quam se in Nouitiorum domum subduxerat mense, prodire coactus, conciones per Aduentum ad populum habuit, tanto gratiores quam olim, quanto ipse & rebus gestis erat illustrior, & demissione animi, pietate, diuinique honoris amore auctior. Inde iterum ad Nouitios aduolauit anno eiusdem sæculi decimo octauo, acturus inter ipsos non aliter quam ex ipsis vnus. Mira illi erat voluptas, & pios animorum simplicium cogitatus in rem suam aptatos sublegere, & sermonibus hominum terrestria tantum ac fluxa sapientium non amplius obtundi. Nihiloque secius non solùm Nouitios crebris cohortationibus; sed non paucos etiam alios ad pietatem instituere priuatis colloquiis pergebat. Quadragenariis subinde concionibus defunctus est eodem quo prius templo, tanta apud Auditores gratia, vt inimicitias quamuis inueteratas ac prope inexpiabiles eius interuentu deponere quidam sint persuasi. Erat inter eos vir nobilis & egregie militaris, cui plures iam annos acre intercedebat dissidium cum filio, filia & coniuge, in quo componendo plurium Religiosorum

æque ac nobilium Virorum opera delusa fuerat. Eum Cotonus pridie quam Christi celebraretur Passio ad se pellectum in cubiculum, ita Christi exemplo appositisque verborum medicamentis emollijt, vt Filium cuius causa subortum erat dissidium à Cotono ex composito introductum atque ex improuiso ad genua accidentem lacrymis manantibus sit amplexatus, receptamque deinde in gratiam Filiam & Coniugem qua decebat pietate sit prosecutus, tota applodente ciuitate. Lugduno haud multo post has conciones digressus, Beatam Virginem Anicij in antiquissimæ religionis templo salutatum iit. Quo in itinere nocturnis interceptus tenebris cum ad fluuium incerti ac periculosi aluei peruenisset, comitibus ob vadi ignorationem periclitari transitum magnopere verentibus, ipse collecto breuiter ad orationem animo, cæteris sequi iussis equum primus in aquam impulit, eaque viam direxit, vt facile appareret ducem illi præire aliquem, nulli alij aspectabilem. Nárrauit ipse haud multò posteà piissimæ Fœminæ cuius silentio confidebat, in transmittendo fluminis vado candidatum quempiam virum sibi à gurgitibus proximis abducto præiuisse ad ripam, nec posteà comparuisse. Quod euenisse hoc tempore qui ei tunc adfuere magnópere suspicantur. Anicio reuersus, multisque simul conciones eius vndequaque flagitantibus, ita operam dispensauit; vt Molinensibus eas quæ octonis diebus celebritatis Sanctissimæ Eucharistiæ haberi solent; Gratianopolitanis quæ ad Beatæ Virginis Assumptionē; aliis alias tribueret. Mira vbique audiendi auiditas, mirus ad eum concursus fuit, dum alios famæ celebritas, alios veterum concionum suauitas prolectaret. Habuit enim tantum mellis eius oratio, quantum ad

Auditorum appetentiam perenniter quodammodo prouocandam tantum ſolidi cibi, quantum ad paſcendam & nunquam ſatiandam ſufficeret. Ac licet interdum ob concionandi frequentiam eadem reponere cogeretur, tamen ea erat dictionis gratia, vt non minus ſecundo audita delectarēt quam primo. Sed dum Gratianopoli poſt eas quas dixi conciones Valentiam progrederetur inſigni illi ſanctitatis demonſtrandæ occaſio interceſſit. Medio enim in itinere nulla ſtatione commoda, tàm graui morbo afflictus eſt illi Socius, à quo hæc accepi, vt inter æſtus febris ardentiſſimos, cibique omnis faſtidium, biduum totum trahere ipſum magis quàm ducere cogeretur. Hoc ſtatu ad S. Marcellini Ebredunenſium primi Epiſcopi oppidum ac celebre illa regione templum, cum ægre illum prouexiſſet Cotonus, multum expetenti deſpondit ſe à Deo ac Sancto Marcellino opem illi inter ſacra poſtulaturum. Et ille cum nec ſtare, nec genibus niti poſſet ad fundam adrepens Eccleſiæ à tergo altaris in quo ſacrificabat Cotonus conſedit, videlicet æſtuare perrexit vt ſolebat, donec eo peruentum fuit, vt ſacer Chriſti ſanguis hauriretur: Tum enim corpore momento refrigeſcente, dolore capitis concidente, ſedatis ventriculi torminibus, integræ ſe redditum ſenſit ſanitati, atque in hoſpitium cum Patre reuerſus cibum qua olim appetentia, iter qua ſolebat alacritate carpere cœpit. Neque verò vnquam poſteà dubitauit, quin hoc ſibi à Deo beneficium ſolemnis Cotoni in Sacramenti vſu Religio impetraſſet. Valentiæ triduò concionatus, cœleſtis etiam virtutis veſtigia non leuiter impreſſa reliquit. Nam cum apud nobilem ciuem hoſpitio eſſet exceptus, materfamilias tam vehementi capitis dolore cruciata vt lacrymas tenere

non

non posset, interno quopiam monitu moueri se sensit, vt in ceruical cui nocte proxime lapsa Cotoni caput incubuerat suum ipsa caput deponeret. Quod vt fecit momento temporis omni doloris sensu liberata fuit. Hoc se ab ea ipsa quæ beneficium senserat accepisse sancte est testatus P. Claudius à S. Columba Turnonensis hoc tempore Collegij Rector. Tendebat hinc Cotonus Tolosam, vt ad populum diceret per Aduentum. Longum iter, & varia interiacentium incolarum circa Religionem studia. Nullam tamen ciuitatem, vna excepta, nullum prope oppidum sine concione præteriit; sed ne ab exilibus quidem pagis aliquando abstinuit, plane pertransiens non tantum sanando, vt dixi, aliquos; sed etiam benefaciendo plerisque. Qui illi fuit comes eo tempore perpetuus, inito exacte concionum eius numero, in cõmentarios tunc retulit, auditum eum abs se hoc anno ducenties vicies dicentem publicè pro concione, priuatim autem ad Religiosas Virorum Fœminarumque familias, cohortationes habentem toties, vt numerare piguerit.

CAPVT II.

ANNO CHRISTI 1619. — ÆTATIS COTONI 56.

Post Tolosanas Conciones Romam Procurator à Lugdunensibus Sociis mittitur.

SImul ac adfuit annus sæculi decimus nonus, Tolosa Burdegalam multùm à nostris iuxtà atque extraneis expetitus excurrit. Itus illi ac reditus moraque

que Burdegalensis dierum fuit paulò plus quam triginta, sed concionum viginti quinque Montem Albanum Caluinismi eo tractu arcem penetrare, hæresimque suo in cubili lacessère Episcopi rogatu subinde non est veritus. Binas conciones paucissimis, qui ægrè illic degere sinebantur, Catholicis tribuit; sed magno Hæreticorum confluxu. A concionibus super iis quæ dixerat, cum eo velitatura domi aderat schola hæretica; cui ille tanta vultus, sermonis atque animi moderatione mentem demulcebat vt rabulam nescio quem Religiosi Ordinis desertorem, quod orationis eius suauitatem rabiosule interpellaret, procul facessere cæteri compulerint. Rari verò fuerint Episcopi tota illa regione Aquitaniæ, qui Cotonum ad se non euocauerint, siue vt eum hæreticis opponerent, siue vt Catholicos in regione hæresibus plurimùm contaminata, sermonibus eius solarentur ac fouerent. Itaque non solùm Burdegalenses, Nouempopulanos, Agennenseis ante Quadragesimam; sed etiam ea exacta Montalbaneses, vt dixi, Riuenses, Lombarienses, Castrenses ab Episcopis accersitus accessit. Sex hæreticos alicuius notæ hoc tempore publice restituit Ecclesiæ, plures priuatim. Inde per Cadurcos, Rutenos, Aruernos, & Segusianos Lugdunum reuertit, concionibus quatuor mensium spatio habitis centenis quadragenis, id est paulò pluribus quàm quotidie singulis, quod interdum bis terue diceret vna die. De his Cotoni laboribus magna sanctitatis eius apud Aquitanicas illas gentes opinione cum Præfecta Monasterij Rosnij quæ illi tunc degebat inter Ordinis Feullientini virgines renunciasset matri suæ grauissimæ matronæ D. de Fleury Villaregij sorori; rescripsit illa expertam se esse illos tantum de Cotono pro dignitate æstimare,

æstimare, qui eum de propinquo nollent. Hoc quippe Cotono adfuit quod vulgò viris sanctis, vt cum cæterorum mores familiari consuetudine soleant vilescere, tùm ipsum quo propius quisque ac familiarius inspiceret, hoc vehementius suspiceret. Enimuerò vt Lugdunum attigit, noui operis est denunciatione pulsatus. Geneuensis enim quispiam Molossus crimen plagij suis obiectum consortibus depellere conatus, misero quodam libello Geneuam ipsius Plagiariam arroserat. Ei Cotonus intrà bimestre iustum reposuit volumen, cui Geneuæ Relapsæ nomen fecit. Secundùm quæ in Prouincialibus nostrorum comitiis Lugduni lectus est à Patribus vt Romam Prouinciæ Procurator iret. Quæ legatio vt ipsi fuit gratissima, quod in ea tyrocinij abs se in pietate illic positi vestigia esset recogniturus, Patresque aliquot Italos, quibus plurimùm in rebus piis tribuebat, coram allocuturus; Ita rerum præclare gerendarum occasiones non paucas suppeditauit. Nam in primis cum nix adeò copiosa angustas Alpium semitas occupasset, vt ægrè earum vestigia apparerent, ingruit insuper quadam die tanta caligo vt vix comiti conspicuus esset comes. Ergo Cotonus socios dum eunt iubens repente in gradu consistere, seducto in partem equo deuoluitur in pedes, atque inde genua, ardentique prece Deum propitiatus, caliginem breui, vt à sociis tunc creditum est, dispulit, simulque cùm luce præsentissimũ ostendit periculum immanis barathri in quod paucis post passibus, si pergerent ire vt cœperant, præcipites ferebantur. Iam Romæ cum esset, molestum dissidium quod inter Regis Galliæ Legatum & Pontificios Magistratus ob nescio quas contentiones exarserat, solita illa sua comitate & rerum gerẽdarum felicitate breui composuit.

fuit. Quare is qui tunc Ecclesiæ præerat Paulus V. humanissimis illum ac beneuolentissimis oculis conspexit, nec quidquam abs se passus est desiderari eorum quæ ad satisfaciendum Cotoni pietati pertinerent. Lauretanam ædem hoc itinere inuisit, prodiditque ipse post reditum cuipiam confidenter, Angelico se nuncio monitum dum ad aram astaret, vt caros sibi quosdam nescio qua tunc necessitudine pressos Beatæ Virgini commendaret. Nec vanam fuisse commendationem illi ipsi, quorum res agebatur persensere. Reuersus est Roma per Alpes maritimas aspero cum primis & saxeo itinere, auctus comite vno sacerdote quopiam in secunda Narbonensi Prouincia, qui illi occasionem suggessit non vulgarem fiduciæ in Deum qua plurimùm nitebatur exercendæ. Nam cum illum misere fractum lassitudine, quod aliquot iam dies iter pedibus confecisset, in equum clitellarium, seruo pedibus ire iusso succedere Cotonus voluisset, ille equi aut soli vitio cum sarcinis tám excusse non longe post est deturbatus, vt toto corpore durissimo solo afflictus, equique ac sarcinarum ruina obrutus pallorem exsanguem ipsamque speciem mortis, spiritu omni sensuque ac motu intercluso indueret. Ad cuius casum Cotonus in preces versus, corpus de aggere publico in agrum vicinum à comitibus deportari iussit, nullo se inter gestandum vitæ signo prodente; tum omnibus ad vicina oppida, vt remedia & chirurgos, si qui adessent, medicos-ve accerserent digressis; visus est sibi homo videre Sanctissimam Virginem altero, & Cotonum, qui tamen in equo semper fuit, altero se brachio subleuantem; exiliensque illicò in pedes, doloris laborisque omnis se exortem sensit, & comites breui reuersi ex oppidis compererunt nihil iam remediis opus esse

esse, vegeto illo iam ac sano non tantùm stante ac colloquente cum Cotono; sed etiam mox pedibus suis multò quam ante validius atque alacrius viam carpente. Is posteà Cotono plurimum venerationis exhibuit, tantumque illi debere vulgò præ se tulit vt diceret, nisi lex sibi silentij ab eo esset maximis obtestationibus imposita, facturum se facile vt id quoque cæteri faterentur. Non tamen potuit quin oblatum sibi Sacræ Virginis Spectaculum, comitum vni aperiret, qui cum illud Cotono renunciasset, fassus est ingenuè se illi ex animo Virginis opem inplorasse. Cæterum is postridie & seriam peccatorum confessionem instituit, & de manu Cotoni Eucharistiæ religiosissimè participauit, atque ad suos subinde est dimissus.

CAPVT III.

ANNO CHRISTI 1610. — ÆTATIS COTONI 57.

Diuione & Nanceij Concionatur.

HVnc finem habuit Italica peregrinatio, quam statim anno sexcentesimo vicesimo excepit Burgundica, cum designatus iam esset ad Quadragenarium Ieiunium Diuione concionator, magnâ Senatus grauissimi populique auitæ pietatis tenacissimi expectatione. Et mira certe fuere studia, tum illorum vt præsentem Cotonum colerent & auscultarent; tum Cotoni, vt antiqua in eis Religionis ac pietatis semina noua cultura exsuscitaret ac propagaret. Etsi enim ingenti semper atque inuicto animo

erigebat sese contrà contortas ac vertiginosas Caluinianorum opiniones; tamen cum populum nactus erat antiquæ ac sinceræ pietatis, mirum erat quantus quámque facilis assurgeret ad cœlestes pietatis sensus & animo concipiendos,& verbis in Auditorum pectoribus conserendos.Hac functus opera,rursum peregrinationem suscipit Turnonum, aliaque in loca quæpiam, tum negotiorum Societatis gratia; tum vt nobiles viros ac mulieres aliquot ab hæresi reuocaret. Hanc enim ille habuit frequentissimam hisce annis quibus Parisiis abfuit peregrinationum causam, quæ rarò illi frustra cessit. Cæterum dum hoc anno Burgundiam, Sequanicam,& Lugdunensem,eamque Belgicæ Galliæ partem quæ Lotaringia nunc dicitur, ac nonnihil Aquitanicæ concionando lustrat, non commemorabo quæ ille solita pietate aut tulerit aut perfecerit omnia; duo tantùm scribam multum vt mihi quidem videtur insolita, quorum vnum Vesuntione apud Sequanos, alterum Nanceij apud Lotaringos est expertus. Erat Vesuntione apud Sequanos piissima puella,quæ præclarissime vsa grauibus ac continentibus morbis, quibus plurimos iam annos ita lecto tenebatur affixa, vt nullam se in partem posset commouere, tam alte patientiam in animum suum demiserat, vt non solùm omnem recipiendæ sanitatis mentionem grauiter ferret;sed etiam minora semper,quàm animæ suæ commodum esset tolerare se quereretur. Ea cum adesse Cotonum in vrbe resciit, magnopere eius colloquium expetiit per quendam è Patribus nostris; nec Cotonus, vt erat maximus probatæ virtutis in aliis amator atque admirator,minore ad eam cupiditate accurrit.Igitur dum colloquuntur, illaque consilij de statu mentis capiendi auida, omnes cogitatio-

num

num suarum recessus sub eius conspectu ponit, Cotono compertum est eam postea quam plerosque omnes corporis dolores sibi fecerat tolerandi alacritate suaues, diuturnis precibus à Deo postulasse, vt animi dolores acerrimos liceret experiri. Quæ vota cum non satis succederent, quandiu mens eius in creaturis occupabatur, quod nullius earum vel præsentia vel absentia vehementer tangi posset, tandem continuatis illa precibus, impetrauit aliquem illius doloris sensum, quem ex Dei priuatione æternis addicti suppliciis experiuntur. Demiratus celsitudinem animi & virtutis exaggerationem Cotonus, rogare eam instituit, vt preces quas exercendæ ad patientia animæ, tot iam malorum tolerantia abunde expiatæ impenderat, sibi qui illâ plurimùm indigeret; impertiri ne recusaret. Illa enixe rogantem non aspernata, hanc salutaribus consiliis quæ multa ab eo acceperat, gratiam habuit, vt dolores animi quos ipsa patiebatur maximos illi à Deo flagitaret & obtineret. Ac Cotonus pluribus sæpe narrauit, tantam per horas aliquot, vim doloris animo suo, priuatum se à Deo reputanti, incubuisse, vt nec aliò tunc mentem intendere, nec vllis posteà verbis eum potuerit satis explicare. Hæc Vesuntione. Sed Nanceij dum Virginis in Cœlos Assumptæ octiduana celebritate conciones habet, incidit in aliam fœminam, quæ ab ætate tenera Dæmonis energemate vexabatur. Huic opis aliquid; qua solebat precum tranquillitate atque efficacitate afferre persuasus, globulorum coronam, qua Beatæ Virginis Salutationes numerabat, quod ex illa penderet lignea crucicula piissimæ quondam Fœminæ Mariæ de Incarnatione Ordinis Carmelitani, vsu dedicata, imponere illius capiti parans, Dæmonis inuolatu retardatus

eſt,qui & coronam ære nexam in diuerſas templi in quo iſta gerebantur partes diſſipauit, & cruciculam defregit. Cotonus tamen tanta precum apud Deum, & imperij apud Dæmonem vi eſt vſus,vt eum cogeret illico & diuiſæ cruciculæ partes ita agglutinare, vt diutiſſime hæſerint, & globulos vndique collectos ſibi in manum referre. Verum cum ille ad vnum omnes ſibi collegi ac reponi iuſſiſſet, Dæmon imperata exacte facere tunc detrectans, vnum quempiam, quod tum quidem Cotonus non aduertit, neſcio quo in angulo prætermiſit. Sed vide vt diuina bonitas obſequiis quodammodo certare cum ſeruis ſuis non refugiat, quóque eos habet exactius ſibi obſecundantes, eò accuratius omnes, imperij ipſorum authoritatem ratam eſſe iubeat. Diſceſſerat iam Cotonus Nanceio dierum aliquot itinere,cum nocte intempeſta inter altiſſimas tenebras micare in cubiculo ſuo fulgetras, mugireque cæca quædam tonitrua aduertit, miſſaque ſub lecti ceruical manu ad ſacras reliquias, quas contra nocturnos id genus terrores ibi ſolebat condere, globulum coronæ ſuæ adhuc hærentem catenulæ, qua nexus fuerat, vnà cum reliquiarum theca prehendit. Cumque poſtridie à Socio qui fractam coronam Nanceij nouo ære nexuerat didiciſſet defuiſſe tunc vnum de numero globulum, aperuit illi,quod rarò alias fecerat, quid ſibi ea nocte contigiſſet, dum is globulus à Dæmone diuino imperio redderetur.

CAPVT IV.

ANNO CHRISTI 1621. — ÆTATIS COTONI 58.

Burdegalensibus Rector Collegij & Concionator attribuitur.

DEstinatus est anno mox consequente Burdegalensi Collegio Rector, cum longe ante ab Illustrissimo Cardinali Sourdio postulatus illic esset concionator. Vtrumque munus dispari animo, sed euentu non dispari, plus paulò quam anno est perfunctus. Tametsi enim ad conciones lubentior, ad Rectoris autem officium alieno tantum non suo impulsu ferretur; tamen nec disparem ad vtrumque accurationem abs se attulit, nec diuersam ab aliis commendationem, retulit. Sane in Rectoris munere quatuor illi à Deo dona adfuere, quæ alium quemlibet singula satis commendassent. Primum, excellentissima quædam de diuino præsidio in negotiorum aditu fiducia, & demississima diuinæ prouidentiæ in eorum exitu quancumque in partem cederent veneratio. Hinc fuit illa animi eius quies, quam omnes mirifice prædicant, qui de rebus eius gestis retulere. Nosque audiuimus eum dicentem, sibi in gerendis muneribus impositis semper fuisse persuasum, fieri non posse vt qui se diuinæ manui confidenter tradiderit sustentandum, de viribus ad negotia perficienda idoneis vnquam diffidat, & qui diuinam prouidentiam pro dignitate suspexerit vllo ex negotiorum exitu dolorem animo capiat. Alterum fuit, præclarissima de iis quibus præerat omnibus existimatio:

non enim vlla fuit in quoquam tam exilis dicendi agendiue facultas; cuius ille si perfectionem non posset, saltem initia non commendaret, inque vsum aliquem aut aliorum, quod sine cuiusquam fieret detrimento; aut suum quod esset approbationis argumentum, non adhiberet. Mirari verò etiam hodie plerique non desinimus, hominem ea pietate, eo iudicio, eoque rerum vsu, Iuniorum monita, dicta, facta, quæ cum pietate essent coniuncta, ita in rem suam cōuertere solitum, vt ex animo profiteretur; multum se ex illis proficere. Adhæc cum in bono facilioris credulitatis nonnullis interdum videretur; tamen fuit semper in malo minime omnium suspiciosus aut credulus; vt quæ ad eum deferebantur in hoc genere, si non essent plane perspecta silentio premeret; si esse viderentur, pro ratione muneris sui tam verecunde reprehenderet; tantaque vel admittendæ defensionis, vel dandæ veniæ facilitate, vt magnum haberent plerumque vel inde culpæ obstaculum, qui ei parebant, ne verecundiæ illius reprehendendi necessitatem afferrent. Quanquam vbi quempiam nactus erat religiosa animi demissione minus commendatum, nonnullam sibi seueritatis personam aliquando imponeret. Hinc manauit donorum eius tertium, Agendi cum iis quos humilitas ac Religiosa moderatio fecisset laudabiles, ratio plane honorifica. Non enim ille absque honoris præfatione quenquam appellare, aut non interrogata suauiterque persuasa cuiusque prius voluntate præcise vlli auditus est imperare. Quod si quid sui negotij aut publica aut priuata causa alteri mandasset, quod homo nullius laboris defugiens fecit quam rarissime, tantum deinde ei gratiarum, vt eas sine pudore nemo facile posset audire.

Quid?

Quid? quod si quis ei vspiam gratificatus aliquid esset, id ille nec pectore nec ore vnquam excidere patiebatur, dataque occasione nonnullo quantum per Religionis leges licebat benefacto reponebat. Denique si quid ei dum præesset, vt fit, exciderat imprudenti, vnde alicui ægre factum esset, magna tenebatur sollicitudine, donec omnem illi ab animo ægritudinem pepulisset, nec cessabat aut comiter agendo, aut honorifice appellando, gratiam quietemque eius redintegrare. Quartum fuit, gratia apud homines non vulgaris, magnaque in rebus susceptis sedulitas, quorum altero assequebatur, vt nulli vnquam molestus, aut intempestiuus interueniret, altero vt negotia sine cuiusquam incommodo mirificè vrgeret, feliciterque vt plurimùm conficeret. Gratiam ei parabat sanctitatis opinio, morum inoffensa suauitas, studium omnibus pro eo ac sciebat & poterat gratificandi, & salutis eorum qui se illi amicitia aut quacumque consuetudine applicuerant, cura sollicita. Quarum rerum exempla huc frustrà coniecero, cum illis hæc historia creberrime fuerit interspersa. At sedulitatē ipsi afferebat amor quo exarserat, Ecclesiam eiusque gratia Societatem viris meritisque florentem intuendi. Qui amor ita animū vitamque eius totam habuit occupatam, vt studia sua omnia eo tantum videretur intendisse. His ille munitus præsidiis non solùm difficultates, quibus eorum, qui hominibus præsunt, animi solent conflictari, non difficili negotio est eluctatus, sed etiam ita Sociorum internis studuit commodis vt non contemnendis accessionibus, externa quoque adaugeret.

CAPVT V.

ANOO CHRISTI 1622 & 23. ÆTATIS COTONI 59. & 60.

Aquitanicæ nostrorum Prouinciæ fit Præpositus.

ALias sollicitudines addidit annus sexcentesimus vicesimus secundus, quo Prouinciæ Aquitanicæ præfectura illi fuit demandata : sed præ aulicis molestiis ac fastidiis omnia tunc censebat suauia. Itaque cum per hæc tempora eas in regiones Aula venisset, & ille tum maxime Agennenses concionibus suis ad pietatem institueret, Procerum votis ac studiis vix sibi passus est persuaderi, quod sine nota defugere non poterat, vt Burdegalam sexto quam à Rege sibi dilectissimo aberat anno, eum salutatum, veteresque aulæ necessitudines reuisum iret. Vbi humanissime à Rege exceptus, de loco superiore auditus Agennum mox rediit, vnde à Quadragesima Encolismam progressus Societati Collegium, lege qua solet optima, est depactus ab incolis. Qua ex re etsi ille plurimùm in se postea molestiæ contentionisque deriuauit ; tamen diuina fretus fiducia suum ac Societatis ius retinuit. Octiduum festiuitatis Eucharistiæ dum illic concionando egisset, ad Regis Matrem, quæ per confinia iter instituerat est accersitus, ingentique exceptu beneuolentia, inuitantibus plurimis vti Parisios reuerteretur, constanter abnuit. Cuius rei causam à P. Suffreno, qui Reginæ à concionibus & confessionibus, erat rogatus, hoc responsum dedit. Constare sibi multò plusquam triennio

triennio consequente Parisiis se vtilem non fore, etiamsi eò iret cum primum liceret, nec tanti esse vel Aulam, vel Aulæ vicinitatem vt tantilli sibi temporis quietem perire vellet. Reuocauit in mentem hæc verba Suffrenus post eius mortem, duoque ista in eis censuit obseruanda : Alterum, perspectum ei fuisse diuinitus mortis suæ annum, cum tam asseueranter operæ suæ vsum eo quo mortuus est anno, tanto ante definisset : Alterum, tantam animo eius à vita aulica abalienationem insedisse, vt non tantùm octennio quo Parisiis abfuit, nullam vel signo vel verbo reuertendi cupiditatem ostenderit; sed nec inter amicos quos habuit & numero plurimos, & autoritate præcipuos, eius rei mentionem lubenter tolerarit. Versus inde ad lustrandam pro officio Prouinciam non externis minus quàm domesticis adueniebat expectatus: Illis, quia diuini verbi facem quocumque venerat inferebat; Istis, quia in eius suauitate molestiarum omnium solatium, in perspicacitate difficultatum exitum, in æquitate votorum quæ ratione niterentur finem optatum sibi despondebant. Venit ex illo itinere ad Santones, vbi Arnaudum egregium bello ducem, ab Hæresi reducem ad Sacramenta admisit. Progressus posteà Benearnum fœdum olim hæreticæ impotentiæ cubile; sed paucis ante annis inuicta Ludouici XIII. magnanimitate assertis in Religionis fortunarumque libertatem Catholicis, expurgatum; Collegium Societati constituit Pali primaria gentis vrbe, cum decreta à Rege alendis nostris stipendia tum primum liberaliter esset consecutus. Ea re confecta cessauit aliquandiu à munere, vt ad Redones per huius anni Aduentum, & sexcentesimi vicesimi tertij Quadragesimam diceret pro concione, vbi Hæreticis

aliquot Ecclesiæ restituendis fortunatam dedit operam, tantamque ab Episcopo, Senatu ac Populo iniit gratiam, vt memoriæ illius suauitatem temporis longinquitas nondum potuerit abolere. Redditus suo muneri, cum spe nonnulla duceretur Collegij nobis apud Cantabros Gallicos in vrbe Boiato, vulgò Baiona, constituendi, occasionem cupidissime arripuit, facta à quibus oportuit potestate, suscipiendæ ex eo itinere peregrinationis breuissimæ ad superiores Cantabros, vt Sanctissimi Parentis nostri Ignatij incunabula, Loyolæ veneraretur. Quo loco quantum ille suauium lacrymarum fuderit, quantumque hauserit animo consolationis, nec ipse facile explicabat, nec illi ægre coniicient, qui excellentem de Societatis Instituto existimationem tenerrimumque ergà illam amorem, quæ fuere in Cotono perpetua, pro eo ac res postulat, æstimabunt. Flexo subinde itinere Boiatum versùs, in grandi Cantabriæ Gallicæ oppido memorabili functus est charitatis exemplo. Cùm enim publico hospitio matronæ viduæ opibusque præstantis, sed Religionis auitæ insigniter studiosæ, exceptus esset, didicit ex ea Caluinianum quendam vulturium opibus eius inescatum, conductis vt plus posset ab eo qui genti præerat Comite vectigalibus, nuptiis suis magno quietis & scilicet Religionis periculo quà violenter, quà artificiose imminere. Ergo cum hominem Cotonus non tantum verbis pro eo ac merebatur, castigauit in præsens, atque à flagitio repressit; sed etiam grauiter posthæc ea de re apud Comitem, qui Catholicus erat, conquestus, autor fuit vt potestatem tam impotenter ac periculosè abutenti abrogaret. Sed hoc postea factum: Nunc cum eodem in oppido plurium hominum commendatione celebraretur, apud eum mulier quæpiam

piam domi suæ Religioso in vestitu degens, quod dicerent eam coluisse à prima ætate virginitatem, prolixis in orationibus diem prope solidum iampridem transigere consueuisse, mira demùm nescio quæ peregisse: Ille, vt erat omnis pietatis amantissimus, ratus nonnihil se ab illa fructus capere posse ad vitam sanctius transigendam, colloquium eius expetiit & impetrauit. In quo dum aliud ex alio differunt, peruentum eo est vt illa diceret, nullo se vanæ gloriationis motu, nullaque alterius peccati tentatione pulsari; multo minus peccatum vllum quantumlibet minimum in se admittere. Videlicet, inquit Cotonus, cum ad confessionem adis, vetera quædam peccata Sacerdoti suggeris. Confessione vero, inquit illa, non est mihi vsus, nec magis peccasse me aliàs quam nunc commemini. Suspecta interim erat Cotono eius in se sanctitatis asseueratio tanta, quæ nec naturæ virtute vlli posset; nec gratiæ munere pluribus hactenus sciretur contigisse. Tamen rogare porro institit, crebrone participaret sacris mysteriis, quorum ipsi vsum insolita illa mentis puritas facile expediret? Illa rigente ceruice, negare Eucharistiæ se aliquot iam annis participasse, quippe quam non tantum sibi minime necessariam, sed ne vtilem quidem censuisset. Exhorruit ad ea verba Cotonus; nec iam dubitauit, quin à malo Dæmone mulieri factus esset fucus, non modo dum Eucharistiæ inutilitatem, sed etiam dum præceptorum Ecclesiæ neglectum persuasisset. Orsus ergo quâ solebat suauitate, periculum ei suum demonstrare, cum præfidentes eius spiritus nullis satis verbis aut rationibus posset deprimere, mœstissimus excessit. Neque verò postea cessauit hoc exemplum, tacitis locorum hominũque nominibus in ore habere, dum perniciosam
 inquirendi

inquirendi agnoſcendique peccata ſua negligentiam priuatis in ſermonibus inſectaretur. Negabat enim eam mulierem in tantum vnquam vaniſſimæ confidentiæ neglectuſque exitiabilis barathrum fuiſſe prolapſuram, ſi qua par erat diligentia animum ad lapſus ſuos quotidianos aduertiſſet. Quin & ipſe cum in anteacta vita tantum eam in rem attuliſſet diligentiæ quantum par erat eum facere qui quotidie confiteretur: tamen iſto ſtimulatum ſe aſſerebat exemplo, vt ſeueriorem in ſe deinceps niteretur exercere cenſuram. Quæ ſane, vt extremo hoc libro dicam, ſtuporem omnibus qui confitentem audirent, concitabat. Cæterum compertum eſt aliquot poſt annis poſteriorem illius mulieris famam, non ſatis primæ reſpondiſſe. Sed Cotonus apud Boiatum aliquandiu concionatus cum Collegij inſtituendi conſilia parum ſentiret explicari, re in aliud tempus reiecta Pictauos per Aduentum concionatum abiit.

Capvt VI.

Anoo Christi 1624 & 25. — Ætatis Cotoni 61. & 62.

Profeſſis Societatem, Domum Burdegalæ conſtituit. Inde Prouinciæ Franciæ præponitur.

Domum deinde Societatem noſtram Profeſſis hominibus, opus Præſidibus optatiſſimum, conſtituere Burdegalæ aggreſſus ad annum ſexcenteſimum viceſimum quartum, tam feliciter rem ſpiſſam oppidò, ac difficultatibus perplexam, ære non exiguo à Viris Illuſtribus corrogato confecit; vt diuinæ prouidentiæ

dentiæ cordi esse eius industriã omnes habuerint persuasum. Sane opem illi hac in re plusquam humanam adfuisse vel hoc vno disces exemplo. Dixerat discessui suo Burdegala, vt Pictauos instante Quadragesima reuerteretur certam diem, iamque insterni equos, ocreas à sociis indui, sibi omnia ad iter necessaria præsto esse iusserat, cum ad breuem orationem, vt fere ante iter solebat, in cubiculum ingressus, finita oratione sociis in cubicula reuerti iussis, non ante posteram diem se abiturum denunciat. Subiit tum quidem omnes admiratio mutati tam inopinatò consilij; sed posteaquam vulgo est cognitum illum ea die de quibusdam ædibus Professorum domui necessariis, quarum emptio non parum futura difficilis videbatur facillime transegisse, in lætitiam se vertit admiratio, nec tamen vlli tum compertum fuit, quisnam illi tam felicium morarum autor fuisset. Verum exeunte hoc anno Parisios ad Prouinciæ præfecturam accersitus, & Valentiam in Segalaunis prætervectus, certus de silentio piæ cuiusdam matronæ dum ipse viueret, vt eius augeret ergà beatos Angelos pietatem, narrandum illi censuit haud multo ante sibi contigisse, vt à quorumdam hominum custodibus Angelis suauissima violentia prohiberetur loco aliquo discedere antequam negotium ipsis commodum confecisset. Quam narrationem cum illa post eius mortem euulgasset, negarunt qui illi perpetuo viarum comites adfuere alio spectare videri quam ad ea quæ dixi Burdegalensia negotia. Cæterum per ea tempora quibus expeditionem de qua dixi Pictauicam, concionum causa suscepit aut confecit, cum de Parisiensi sua profectione nihil adhuc haberet compertum, prænunciatum illi est diuinitus, atrocem Parisiis tempesta-

tem

tem imminere Societati ad annum millesimum sexcentesimum vicesimum sextum. Qua de re literas tunc enim Burdegala dedisse religiose asseuerat Rector Collegij Turnonensis, qui ea quæ de Cotono retulit, ab ipso aut ab iis qui gerendis rebus interuenerant se agnouisse profitetur. Sane literas ab eo tunc ad Fratrem scriptas ego ipse legi, quibus dicebat sensum sibi quendam esse intimum, parari se à Deo ad mortem, tum aliis indiciis, tum quòd ingrauescerent sibi renum ex calculo dolores, quos annum iam quintum inter tot peregrioationes pertulerat creberrimos ac grauissimos. Nihilo tamen secius Benearnum nunc alacer repetebat, vt matronæ nobilissimæ adesset reditum ab hæresi ad Ecclesiam meditanti. Illa enim ne imperitia aut fraude alicuius, ad nos transitionem fecisse insimularetur, confidentissima aliquot Ministerij Caluiniani capita ad se per literas aduocarat, vt vnum illis Cotonum à quo alias permota fuerat ad hæresim deserendam opponeret. Et admisere per literas illi quidem oblatam cum illo disputationem, quam pudor aut vanitas vetabant recusare; sed ad diem locumque condictum nemo eorum homo adfuit, singulis putide obtendentibus collegarum interdictum. Ergo eâ Matronâ tandem Ecclesiæ redditâ Burdegalam reuertit, vbi non diuturna illi fuit lætandi ex re bene gesta facultas, literis breui Roma allatis, quæ Prouinciæ Franciæ præfecturam ei demandarent, quas ille literas lacrymis prope deleuit, dum vel præteritæ quietis, vel tempestatis futuræ, cuius erat probe iam conscius, imaginem sibi poneret ab oculos, nihilque tunc omisit eorum quæ ad eam præfecturam abs se amoliendam integra obedientia præstare posset. Verum posteaquam ita Præsidi Societatis comperit esse cordi, erexit

contra

contra omnes difficultates animum,& quod instabat, domum Professorum Burdegalensem templo egregie pro tempore ac facultate adauxit, moxque se in viam Parisiensem, per Tectosages, Septimanos, Heluios & Segalaunos dedit ineunte iam anno sexcẽtesimo vicesimo quinto. Cumque dies aliquot Turnoni Segalaunorum interquiesceret, Vir quidam Religiosus, illustri puritatis prudentiæque eius opinione ductus,secreto illi aperuit alterum iam annum fœdis se imaginibus atque impulsibus quamlibet repugnantem ac refugientem ab impuro Dæmone circumsideri ac prope opprimi, eaque re consilium eius, atque apud Deum patrocinium efflagitauit. Cotonus mollissimis verbis eius in præsens mœrorem leuare cum laborasset, bene in posterum sperare, sibique ipsum non deesse iussit. Vrgebat nihilominus pessimus Dæmon oppugnationem suam donec vixit Cotonus,sed posteaquam mortis eius fama vitæ sanctissime actæ memoriam in hominum animis refricauit, Vir idem Religiosus ad diem decimam quintam Maij votum suscepit, si fauens ac propitius contra nequissimum spiritum sibi esset Cotonus, bis in die certam se precationem persoluturum vsque ad vicesimam nonam Iunij Cotono dum viueret multis nominibus celebrem.Concepto voto remisit illicò oppugnatio, sensimq; languescens ad dictã Iunij diẽ plane cessauit.Sed hæc postea euenere.Cotonus verò hoc tempore continuatis itineribus Parisios expectatissimus aduenit,vbi Rex,Reginæ,Aula,ac Ciuitas nouem non totis annis postquàm discesserat reducẽ lubẽtissime exceperunt,conciones eius illicò expetierũt,magnisq; eas concursibus Aulici ac ciues frequẽtarunt.Rapiebant illũ ad se diuersæ Ecclesiæ in Cõciones,quæ imminebãt dierũ Quadraginta; sed cum in Archiepiscopi

potestate

poteſtate futurum ſe profeſſus eſſet, ædi Metropolitanæ concionator ab eo eſt datus. Tam proſperis ac tranquillis initiis Præfecturæ, & laborum eius interpoſuit vt ſæpe aliàs nequiſſimus Dæmon moleſtum cumprimis negotium. Erat enim circà Dieppam in Normannia Sacerdos quidam vt vitæ clam flagitioſiſſimus, ita palam pietatis ſimulatiſſimæ, qui vt ſuæ forte ſeruiret ſimulationi vnum è noſtris ad conciones in Eccleſia ſua habendas ſolitus erat aduocare. Is Sacerdos grauium poſteà flagitiorum compertus cum per tormenta interrogaretur de familiaribus ac notis, vim dolorum non ferens noſtrum nominauit, cui verba quædam affingeret temeritatis atque offenſionis plena. Ac licet ille tormentis poſteà exemptus ſuam erga noſtrum calumniam deteſtatus, quæ illi affinxerat retractaſſet; tamen in periculum ſemel adductus noſter, incredibile eſt quantum Cotono laboris creatit, vt in re tanta nec obniteretur iuſtitiæ, nec deeſſet innocentiæ. Et fuit laboris fructus, noſtri hominis innocentia liquidò tandem ſuis Cognitoribus probata. Sed nihil hac in re incredibilius contigit, quàm Cotoni tranquillitas, quem nemo verbo aut facto inter tot occaſiones quot moleſtiſſimum negotium ſuggerebat commotiorem vidit. Qua eius tranquillitate tam vehementer vrebatur Dæmon, vt continere ſe non potuerit quin haud procul ab hoc tempore per os mulieris iam olim energumenæ cum è Lotaringia veniſſet Pariſios grauibus excepto conuiciis minas atroces intentarit, denuntians adducere ſe illi ac Societati annum in Gallia ſæuiſſimum ac turbulentiſſimum; quo & ipſum multis modis infeſtum haberet, & Societatem è Gallia expelleret. Hoc quidem plane mentitus; ſed illud quantum potuit mox adortus.

Nam

Nam cum Prouinciæ ſuæ luſtrationem Cotonus poſt aliquot dies iniiſſet Bleſis cubiculo orationis cauſa aliquando clauſus ſenſit adeſſe cateruas Dæmonum quæ fœtore ac ſtrepitu cuncta complerent, cumque illũ cubiculo extrudere, quod voluerant, nõ valerent, animum ſaltẽ eius ab oratione abducere magno conniſi opere, nunc ferocium animalium terribiles formas, & barathrorũ tenebrarumque horrores, nunc verſa vice decoras corporum ſpecies agrorumque atque hortorumque amœnitates oculis eius obtruderent. Quæ ille, tametſi ſenſu pulſatus magis quàm animo intenta ad id quod ſuſceperat cogitatione, præteruehebatur; tamen haud parum ominoſum cenſebat, quod tantum Dæmoni nunc licere Deus vellet. Itaque quærebat enixe toto illo itinere Superum pacẽ, ac præter B. Virginis celebres ædes, quas ex itinere nunquam inſalutatas præteribat, Veneticam etiam vrbem apud Armoricos, tùm aliis ex cauſis, tum illa maxime adiit, vt S. Vincentij Ferrerij monumentũ veneraretur. Cuius ille viri vt inflammatum alienæ ſalutis ſtudium, ita concionandi quocumque venerat aſſiduitatem demiratus ſemper fuerat; & quantum fas erat æmulatus. Reuocantibus eum ſubinde Pariſios Societatis negotiis, cuncta illic reperit, vel profeſſis in noſtros odiis exulcerata, vel occultis ſuſpicionibus tumida. Nam & calumnioſi in nos libelli tota vrbe impune venditabantur, & prodigioſa quædam ac ſcelerata ſcripta, quibus non Regia minus Maieſtas, quam Regni Proceres indignis modis lacerabantur, ad noſtros Autores à maleuolis hominibus referebantur. Quibus malis quamcunque poſſet medicinam facere ſui muneris arbitratus, ad Fontem Eblaudi Regem adiit. Eſtque ab eo humaniſſime auditus, dum vera copio-

ſaque oratione has atque id genus alias calumnias à noſtris hominibus depelleret. Sed diuinæ videbatur eſſe permiſſionis, nihil vt illi hoc anno in rebus humanis ſinceræ ac diuturnæ voluptatis obtingeret. Nam vix à Rege digreſſo, grauis incidit controuerſia cum amiciſſimo Epiſcopo, de Religioſorum hominum exemptione ab Epiſcoporum poteſtate. In qua cum Pontificis beneficium Religioſis vehementer vendicarat, tamen eam modeſtiam animique demiſſionem retinuit, vt hæc Epiſcopus poſt eius mortem teſtari non recuſarit. Magna, inquit, mihi ad Fontem Eblaudi interceſſit cum illo contentio; ſed cum maxime commoueretur, admirabar tum illum maxime & amabam; tantum ſuauitas eius nonnihil tunc concalefacta, radiorum fundebat atque ſplendoris. Vtinam loco eius nunc eſſe periclitarer! tam inſignes enim ſuauitates alio recipi loco non poſſunt quam ex quo prodiere. Sic ille. Excurrit inde Cotonus Bituricas, vt ſcholis Theologicis quas illic Illuſtriſſimus Princeps Condæus liberalitate ab ingenio ac magnanimitate ſua non diſpari inſtituebat, auſpicata daret initia. Ac cum ſe poſteà ineunte hyeme Pariſios vt per Aduentum Conciones haberet recepiſſet, moleſta exceptus eſt cum Viro clariſſimo contentione, ne Filij ipſius ſaluti deeſſet, quem pater, Societatis iam initiatum tyrocinio reuocabat in vitam priſtinam. Qua in contentione quò plura illi fuerunt concoquenda quæ homini liberorum amanti paternus dolor exprimebat; eò mentis eius tranquillitas & ex vera virtute demiſſio eluxit illuſtrius. His in laboribus tranſactus illi eſt annus qui mortem anteceſſit.

CAPVT VII.

ANNO CHRISTI 1626. | ÆTATIS COTONI 63.

Destinatâ ad Canadenses nostrorum Coloniâ Parisiis sanctissime vitâ excedit.

NEc mitiora fuere anni sexcentesimi vicesimi sexti, quem vltimum vidit, initia, quanquam nonnihil id illi primum blandita. Orsus enim cum anno, de Canadensium salute, quæ cordi iampridem illi erat nouas seriásque cogitationes suscipere, diuinâ moderante benignitate incidit in virum nobilissimum Nicolaum Rouault Gamachensem in Picardia Marchionem, coniugemque eius, matronam cordatissimam Franciscam Mangot, quibus & facultas esset & voluntas salutem hominum diuinamque gloriam promouendi. Cum iis haud ægerrime egit, vt de bonis suis annua librarum tria millia, sustentandis hominibus nostris, qui in Canadensium ad Christianam pietatem institutione operam ponerent in perpetuum attributa vellent. Quam ille optimæ familiæ liberalitatem cũ nonnullâ aliorum beneficentia cumulatiorẽ fecisset, octo è nostris ad Canadenses ante mortem destinauit, etsi eo non nisi post eius mortem quidam sint profecti. Dum tamen ista gerit studiosissime, clarum ac sibi solemne in suo corpore sensit indicium, vehementis cuiusdam tempestatis aut Ecclesiæ generatim, aut Societati priuatim imminentis, quod mihi est explicatius hac occasione describendum. Scitum ergo est sanctorum hominum nonnullis tantum

fuiſſe, vel priuatæ vel publicæ ſalutis ſtudium, vt non ſolum animo, quod ſolent omnes, ſed etiam corpore acerbiſſimos dolores præferrent, ſi quid aliena ſalus vel paſſa vel paſſura detrimenti crederetur. Id quod in Catharinæ Senenſis & Lutgardis clariſſimarum Virginum rebus geſtis, eſt à magnis viris obſeruatum. Cotono ſimile quiddam ſolitum accidere ab eo maxime tempore quo Regis Aula exceſſit, certam fidem faciunt tum comites eius itinerum, tum alij quibus id ille aperuit. Nam cum vehemens illud ſtudium, quo Eccleſiam contra Hæreticos, & Societatem contra calumniatores protegere apud Reges conſueuerat eo iam conuertiſſet, vt ardentibus votis idem munus apud Deum exerceret; tributum eſt de cœlo, incertum an precibus an meritis eius, vt quoties grauis quædam calamitas aut in Eccleſiam aut in Societatem impenderet, acerbiſſimus ei dolor alterum in pedem incumberet. Quo ille admonitus, non ſeipſum tantum, ſed ſocios etiam vehementiſſime excitabat, vt Deum impenſius precibus propitiarent, ne quod forte ſalutis æternæ periculum inter calamitates temporarias boni adirent. Et hunc dolorem non ipſo tantum creberrime prodente, ſed totius etiam corporis immutatione, quod repentinus admodum adueniret, ac pro calamitatis futuræ magnitudine nunc diuturnior eſſet nunc breuior, comites ſe aduertiſſe euentu nunquam fruſtrato ſanƈte aſſeuerant. Hoc igitur ille nunc quoque monitore excitus, non parum diu ambiguus hæſit & anxius vtrum Eccleſiæ toti an alicui eius parti eſſet pertimeſcendum, & quanquam initio toti Eccleſiæ timebat nonnihil, quod bella tunc inter Chriſtianos Principes videret agitari nonnulla; tamen vt res fluebant,

verſa

verſa demùm in Societatem noſtram ſollicitudine, non dubitauit quin haud procul abeſſet ea tempeſtas, quæ tanto ante Burdegalæ ſibi fuerat denunciata. Itaque vt illam eo fructu exciperet, quem diuina expetebat prouidentia, animum ſuum ita comparauit, vt primum ſuas plurium annorum noxas, & quas admiſiſſe ſe crederet tota vita potiſſimas generali confeſſione dilueret; deinde humanis omnibus negotiis in dies octo abiudicatis, totum ſe in rerum cæleſtium cogitationem deſideriumque colligeret. Et is qui confeſſionem eius tunc audiit profeſſus eſt eo demortuo, mirabilem ſe obſeruaſſe in iis quæ ad Deum pertinerent animi eius celſitudinem, & incredibilem de bonitate illius fiduciam; vitæ autem actæ modum adeò circumſpectum & caſtigatum vt quod alias dixere eo audito alij de peccatis confitentis, non tam ſuo quam ipſius iudicio credere cogerent. Iam qui ei adfuit extremo ſe per rerum cæleſtium meditationem ad ferendam quæ imminebat tempeſtatem comparanti, cum neſcio quid illi rei gerendum obtruderet quibus horis à meditatione vacabat, hoc ab eo reſponſum tulit. Tu, inquit, videris ne interiecta hæc occupatio cuiquam ſit offenſioni; mihi certe Dei mei bonitas minime ſane promerito iam olim illud donauit, vt à ſuſceptis orationibus ac meditationibus animus meus nunquam niſi conſulto diuertat, atque ad eas cum libitum fuerit reuerſus, momento adhæreſcat. Quæ cum diceret, tantus ei pudor vultum occupauit, vt facile appareret non iactantiæ, à qua ille longiſſime ſemper abfuit, ſed excidentis ex improuiſo veritatis ea verba fuiſſe. Secundum hæc Quadrageſimæ conciones ad S. Pauli exorſus, comperit paucis poſt diebus nonnullos homines qui iampridem in omnem deterendæ

Societatis famæ occasionem inuigilabant, tum in alia quædam nostrorum scripta, tum in quendam librum duobus ante annis in Italia editum, & recens in Galliam minime profectoopportune inuectum, curiosissime inquirere. Ergo vt omnem offensionis ansam adimeret conquisita quam potuit diligentissime eorum librorum exemplaria ab hominum oculis submoueri curauit. Sed obtinere non potuit, quin ea ad nimium multos peruenirent. Vt augustissimus Senatus Parisiensis in omnem opportunitatem tranquillitatemque Regni semper intentus, vno exemplari per Senatusconsultum abolito, cæterorum lectione ac diuenditione toto Regno sibi censuerit interdicendum; atque ad Senatusconsultum adiecerit, vt ad diem certam Cotonus, qui Prouinciæ præerat, aliique tres è nostris Senatus mandata audituri adessent. Agebat ille tunc annum ætatis tertium supra sexagesimum, corpore graui & plurimùm pituitoso, ac vigiliis, laboribusque priuatis & publicis confecto. Ergo succrescente per pluuiam tempestatem, illorumque dierum ieiunia pituitæ affluentiâ, cũ ad dictam diẽ plures in Senatu egisset horas, vt illi quantum fas esset, satisfaceret, altera post illam die leui tentatus febricula à concione decubuit; sed impatiens vel vna die sacrificio ac Sacramento carere, postridie animo quàm corpore fortior, lecto se eiecit vt sacrum faceret, ac nisi qui ei aderant prohibuissent, ad concionem etiam ea die condixisset. Tertia die à primo decubitu; aperire se Medicis periculum cœpit, hacque vna post annos plurimos caruit Sacramento, vt remediis naturalibus locus esset. Eadem die ad vesperam, vi morbi ingrauescente per momenta singula, perlatum ei est ac perlectum Senatus consultum à quopiam Accenso Senatus,

quò

quo nonnulla ad noſtros mandata, eius quem diximus libri occaſione edita continebantur. Audiit ea Cotonus placidiſſime, cumque autoritati acquieuiſſet, parabat ad ſequentis diei primam lucem, præcipuis quibuſque noſtrorum ex iis quæ habemus Pariſiis domiciliis euocatis Senatus voluntatem ſignificare. Sed hic tu mihi vide antequam progrediar, diuinæ bonitatis erga ſeruum ſuum ſuauitatem. Erat Cotono vt diuina gratia erectus & audens animus, ita natura mitis ac timidus; pericula corporea, morbos, atque in primis mortem ſine horrore naturali vel cogitare vel audire non poterat; tametſi de illis natura in rationis ac gratiæ gyrum reducta, frequenter in publico diſſerebat. Ergo diuina bonitas vt naturæ illius quodammodo obſecundaret, mortis illi ac mali corporei ſenſum omnem ratione facillima, minimeque ſaluti incommoda detraxit. Dum enim neceſſariam Societati, quæ illi ſecundum Deum & Eccleſiam cariſſima erat operam præbet, occupato animo in diuina ope iam implo-randa, nec mori ſe ſentiebat, nec doloris ſignum vllum præbebat; Nam hora poſt mediam noctem prima, cum ſomnum capere ægritudo non ſineret, lecto ſe erigit, ſocio edicit in animo ſibi eſſe ſacrũ facere ea die, quod S. Ioſepho, quem impenſe colebat, ſacra eſſet; Breuiarium Eccleſiaſticarum precum vt nocturnas perlegat, petit; partem earum tardiſſime ac laborioſiſſime euoluit; alteram, oculis vt ipſe exiſtimabat ex ſanguinis copia à medicis detracta, caligantibus, vt autem res erat in mortem ſe iam condentibus, in aliud tempus reiicit. Verſus dehinc ad orationem mentis tacitam ſedebat tranquillus, ſenſimque vultu concidente, oculis recedentibus, palloreque triſti ſubeunte ad mortem ibat. Quod vt aduertit qui ægro miniſtrabat,

miniſtrabat, Sacerdotem ſocium aduocat, à quo monitus Cotonus de ſuo periculo, rogatuſque vellet-ne Sacramenta ſuſcipere? quamuis periculi ſui ſenſu nullo tangeretur, prolixe tamen annuit, ſociumque hortatus, ſibi vt adeſſe vellet, quod ſupererat Eccleſiaſtici in eam noctem officij cum eo perlegit, tunc aduolutus illi in genua noxarum confeſſionem inſtituit; ſedique ſuæ reſtitutus mox vt præſto eſſe Euchariſtiam ſenſit, in genua rurſum ſe proiecit religioſiſſime, ſacroque participatus epulo, cum collecto in ſe animo perſtaret in genibus, cerneretúrque ab omnibus manifeſte deficere, rogatus vt attolli ſe ac ſedi lecto-ve imponi ſineret, negauit id decere quandiu in cubiculo ſacra adeſſet Euchariſtia. Ergo vt illa eſt elata, lecto impoſitus, ac ſtatim ſacro oleo liniri cœptus, ad tertiam quartam-ve inunctionem animam ea qua vixerat tranquillitate efflauit. Eſt autem obſeruatum non vanè tunc à multis, duo illi in morte tributa, quorum in vita cupidiſſimum ſe aliquoties ſignificarat. Alterum erat, vt ad diem S. Ioſepho Beatæ Virginis ſponſo ſacram, inter tanti Viri calentia tum maxime pro humano genere patrocinia, diuino iudicio ſiſteretur. Qua de re cum diſſereret paucis ante hebdomadis quàm moreretur, dixit quibuſdam noſtrûm, ſi per eam quam diuinæ prouidentiæ debemus venerationem licitum eſſet cuique quod maxime placeret optare, nihil adeo ſibi in votis fore, quam ea die è viuis abire. Alterum, vt in diuiniſſimi Sacramenti complexu vitam exigeret. Quam ob rem, & olim curæ illi ſemper fuit, vt Sacramenti materia vteretur ſi poſſet denſiore ac copioſiore , quæ Chriſtum ipſi hoc diutiùs præſentem ſiſteret quo calori ſtomachi reſiſteret pertinacius: & in extrema hac participatione perquam veriſimile

verisimile est, Christi corpore adhuc corpus eius inhabitante mortem illi obtigisse. Id quod si illi à Deo est tributum ego non ambigo quin inter excellentes adorationis, amoris, gratiarum actionis, oblationis sui ipsius, aliosque id genus internos actus, quos dum præsentem apud se Christum credidit, magna semper facilitate in vita exercuit, animam efflarit. Sane vt ea de re minus ambigerem, feçere Cotoni literæ, quas vidi scriptas anno superiore ad Virginem S. Iosepho deuotissimam. Orabat enim illam impense, vt preces, quibus apud S. Iosephum valebat plurimum, sibi commodaret, quo illius suisque votis coniunctis posset in id quod supererat sibi vitæ, S. Iosephi ope, obtinere partem nonnullam eius reuerentiæ, amoris, ac deuotionis ergà Sacramentum Eucharisticum, quandiu in suo perseueraret pectore, quibus Sanctissimus Iosephus abundabat dum Christum puerum vlnis suis circumferret. Quæ profecto in extremo hoc maxime vitæ actu tam deuoto clienti S. Iosephum non negasse, concursus festæ eius diei, & mortis tam citò post acceptum Sacramentum obitæ non difficile persuadent. Vt spes sit maxima, illum à corporea ista cum Christo per Sacramentum & spiritali per amorem coniunctione, ad æternam gloriæ, bonorumque omnium communionem transiisse.

Capvt VIII.

Cotoni Sepultura & Felicitatis illius nonnullæ significationes.

VVlgata Parisiis Cotoni morte mirabiles fuere non tantùm Aulæ ac Ciuitatis; ſed eorum etiam qui vndequaque aderant Catholicorum iuxtà ac Caluinianorum conſenſiones, maximum Regno virum periiſſe; Aliis diuturna eius, ſedula ac fidà in primis apud Regem obſequia; Aliis inoffenſam morum integritatem; Aliis inexplebile bene hominibus omnis generis faciendi ſtudium prædicantibus. Sed bonos omnes primos ſimul & infimos incredibilis olim inceſſerat Sāctitatis eius ſenſus. Corpore enim ſepulturæ cauſa in apertum locum educto, tanti fuere eorum omnium concurſus, ad videndum, oſculandum, roſariis aliiſque id genus rebus contingendum, vt ſex prope horæ turbis fuerint ante ſepulturam concedendæ, quo ſuæ ſatisfacerent pietati. Elatus eſt ad extremum inter tam confertam multitudinem hominum omnis ordinis, vt à Sacerdotibus exequiarum Ordo retineri nunquam potuerit. Proceres ac de populo multi, vberes ex oculis lacrymas viſi fundere dum ſepeliretur. Illuſtriſſimus Archiepiſcopus funebri præeſſe officio cum interueniſſet iam incœpto, oſculari demortuum, & ſepulchro condere voluit. Rex à noſtris poſtea aditus, grauem ſibi fuiſſe ac moleſtam eius mortem ſignificauit, ſcire locum quo eſſet conditus voluit, atque dum de eo aliquandiu cum P. Suffreno ſermocinaretur, de ſanctitate eius ſe non ambigere affirmauit. Regina

eius

eius Mater cum post dies aliquot nostrum in templum aduenisset, adesse se dixit vt Cotoni preces expeteret. Matrona Princeps cum per ea tempora grauiter laboraret in partu, non dubitauit Cotono preces concipere, iisque se subleuatam persuasum habuit. Viri Principes cum perspectissimam sibi illius sanctitatem dicerent, voluerunt se à Theologis doceri, liceret-ne ei priuatim preces ante Pontificis decretum adhibere? Iam eorum quæ corpus eius contigerant; quæ illi in vita vsui fuerant, quæ manu eius scripta aut consignatà erant, tantum fuit apud multos desiderium, vt ægre illi à nostris sit satisfactum. Gabriel Albaspinæus Aurelianensis Episcopus, Vir authoritate atque eruditione præcipuus, cum quidpiam eorum quæ Cotoni fuerant à nostris per literas expetiisset, Breuiarium quo ille preces Canonicas diu persoluerat, accepit, atque hæc sibi ad eum qui miserat censuit rescribenda. Non te, inquit, latebit sat scio, cum prmum mihi in conspectu fuit fasciculus quem misisti, venisse mihi illicò in buccam Breuiarium hoc esse R. Patris Cotoni, eumque à me osculo éxceptum, ac posteà resignatum. Hoc ego munus lubens atque exultans suscepi, vitaque mea carius habeo. Memorem enim illum mei fore, pieque vt illud recitem suis apud Deum precibus effecturum confido. Illud verò inter prima Sanctitatis Cotoni argumenta censeo collocandum, quòd mortis eius nuncius in Regni loca diuersissima mirabilibus sane modis, apud eos maxime quos ille viuens nonnulla precum ac meritorum communicatione, alio-ve id genus charitatis nexu sibi consociarat, breuissime fuit dissipatus. Primum enim circà ipsam diem qua vita excessit Nanceij in Lotaringia mulier multis ab annis energumena cui liberandæ

ab infesto hospite nonnihil olim Cotonus laborarat, magnis lætisque vocibus clamare non cessabat, mortuum Cotonum. Cumque is qui ipsius præest exorcismo Viardinus intento in cœlum digito significaret inter beatos illum degere si esset mortuus: Respondit Dæmonn,ihil sua referre, dum hinc morte sublatus esset. Ad hæc Valentiæ Segalaunorum, quæ Parisiis distat leucis centum decem & octo, ipsa die vel postera quam mortuus fuerat Cotonus, matronæ cuidam, pietatis nomine sibi olim commendatissimæ, conspiciendum se ille præbuit incredibili splendore circumfusus, tamque certam eius in animo de cœlesti beatitudine sua persuasionem ingenerauit, vt de ea deinceps ambigere illa nullo modo posset. Quid vero dicam de Rodumnensi matrona Antonia Miela constanti fœmina, virtute diuinisque donis diuite, cui paucis diebus ante Cotoni mortem vigilanti ac sentienti, obiecta est in cubiculo corporea species pallidæ ac morientis lucis, cuius in meditullio suggestus esset concionatorius, non solo nixus sed aëre quodammdo pendulus, viro intus insidente, cui & puerilis in vultu gratia, & sceptrum esset in manu. Quod spectaculum cum illa, Dæmonis insidias verita, non parum auersaretur; perferre tamen plusquam vno horæ quadrante est coacta. Et abiit illud quidem ex oculis, sed magna ipsam sollicitudo tenuit, quo visa pertinerent, vsque ad Dominicum diem post Cotoni mortem, cuius ad vesperam sentire visa est Cotonum sibi ad latus manifeste astantem, qui visa exponens diceret, pallentem illam lucem mortis sibi tunc imminentis; suggestum in aëre pendulum, doctrinæ à rebus terrenis auulsæ; puerilem gratiam, vitæ innocenter ac pure transactæ; sceptrum, arbitrij æquissimi in con-

scientia

ſcientia Regum ac priuatorum moderanda notas illi ac ſymbola præbuiſſe. Quæ illa cum gaudio ac lacrymis diffluens acciperet, hoc agere tantum poterat vt Cotoni ſibi patrocinia precationeſque ardentiſſimè depoſceret. Eodem tempore in Rodumnenſi item oppido Ioanna Matellia triginta annorum virgo, cui ob diuturna religionis ac pietatis exempla quotidianus Sacramenti Euchariſtici vſus à conſcientiæ moderatoribus iam olím eſt indultus; cum de Cotoni morte nihildum inaudiiſſet, animo à ſenſibus poſt communionem, vt ſolet, alienato, videre illum eſt viſa, non tantum aureo collucentem fulgore, ſed etiam regio cultu throno inſidentem aureo, flammeaſque ſagittas verſus auguſtiſſimum Sacramentum iaculantem. Quod viſum dum immenſa admiratione proſequuta eſſet, tanta interim eſt diuini amoris ſuauitate delibuta, vt in ſenſus ipſos redundaret ſuauitas, totoque ſibi die dulciſſimum quidpiam ore ipſo reguſtare videretur. Cumque illi ad Veſperam Cotoni mors eſſet renunciata, non dubitauit quin illius in cœlo gloria, atque aduerſus Euchariſtiam religio & ardor matutino illo viſo ſibi fuiſſet declarata. Neque inducere in animum poſtea potuit, vt de Cotono aliter quam de Viro in cœlis admodum glorioſo loqueretur, aut cum eo aliter ageret, quam cum cœlite apud Deum gratia præpotente. Extremum hoc indidem profectum habe. Anna Vitella inſigni erga Deum pietate, atque erga deſertiſſimum quemque benignitate Vidua, animo inter orandum abducto Pariſios, viſa ſibi eodem die videre Cotonum de cœlo candidatum aduenire eum in locum quo eius corpus erat conditum, gratiiſque corpori prolixe actis, quòd tam vtilem ac facilem ad ſalutem, operam ſibi præbuiſſet,

inter Chriſtum, Mariam & Ioſephum in cœlos remigraſſe. His fere modis diuina benignitas, aut eos quorum ſaluti Cotonus viuens peculiariter opitulatus fuerat, ſolabatur; aut gloriam eius ac felicitatem longe lateque euulgabat. Nec tamen nullum Pariſiis vbi iacebat mortuus beatitatis illi præbere voluit teſtimonium. Duo enim Viri pietatis amantes, & Cotono ea cauſa in vita cari, nonnullo eius poſt mortem ſpectaculo ſunt potiti. Alter cœlos penetrantem conſpexit. Alter, cui animus diuina meditans frequenter extrà ſe rapitur; dum ad eius corpus in feretro iam compoſitum genua poſuiſſet, repentina illius ſententiæ meditatione pulſatus; Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius; Cotonum ad feretri caput viſus eſt ſibi conſpicere linea caſula concionantibus ſolemni, & Sacerdotali ſtola tam late fulgentem, vt gemmis coruſcare veſtitus vterque videretur.

Capvt IX.

Cotoni naturalia corporis & ingenij bona.

HVnc fecit manendi inter mortales finem P. Petrus Cotonus; Vir ſi cuncta conſideres perquam abſolutus. Nam corpore in primis fuit ſtaturæ inter proceras mediæ; vultu dum ætas viguit non tantum honeſtiſſimo, ſed etiam inter viriles plane pulchro, colore egregie candido ac leuiter roſeo, barba & capilo flauo, fronte admodum lata, ſed æqualiter plana, naſo mediocriter erecto, geniſque ac mento moderate in acumen ex orbe deſinentibus. Sed in oculis, quos

habebat gratos admodum ac nonnihil cæruleos, ipsa quod ille ait sessitare modestia videbatur; adeò illos & temperate demissos, & nullo casu vel torue obliquos, vel defixe apertos, vel leuiter mobiles habuit. Oris cum loqueretur plurima erat venustas, labiis ea gratia ac moderatione diductis, vt in admodum distincta ac perenniter fusa, atque aliquando vehementi locutione, neque hians quidquam neque contortum in ore cerneretur. Sanitate fuit diutissime æquabili, roboreque contortum in ore cerneretur. [Verum multa in eo mutauit extrema ætas, quæ & palpebras nimio sanguine suffudit, & vultum rubore liuido infecit, & corpus morbis nonnullis ac grauitate tardauit. Iam Ingenium in eo erat, quo nescias an ad agendum multiplicia, cumque hominum multiplici genere vllum possit optari aptius. Nam magna erat ad ea quæ audiebat aut legebat complectenda celeritate, maxima ad retinenda quæ complexus fuerat, firmitate. Græce commodè, Latine etiam eleganter, Gallice præterea floride admodum & dicere & scribere idoneus erat. Poësim triplici hoc sermone mediocriter coluerat. Scientias philosophicas perceperat accurate, & docere, omnium quibus notus hac in re erat iudicio, pro dignitate potuerat, si non ad conciones vtilior eius opera existimata fuisset. Theologicas quæ docentur in Schola difficultates dum iunior audiret, acutissime perspiciebat & discutiebat. Sed concionibus posteà addictus id tantum ex eis amauit, quod statuendis aut explicandis fidei morumque dogmatibus visum est necessarium. In quo versatus est tam facile & dilucide, vt non tantum à populo cum vtilitate; sed etiam ab earum rerum magistris cum voluptate & admiratione audiretur. Historiam humanam & naturalem non

tam

tam ſciendi quàm vtendi cauſa delibara. Et ſuppetebat ei facile ex vtraque quo hodiernos mores aut emendaret aut illuſtraret cum vſus poſcebat. Sed nulla res ingenium eius vberiore ſenſuum optimorum copia ditauit, quàm meditatio perpetua eorum vel quæ diuinis in literis de magnitudine, ſapientia, benignitateque ſua nobis eſſe proſpecta Deus voluit, vel quæ Chriſtus dum terras inhabitaret, noſtra cauſa geſſit & tulit, vel quæ homines Deo chari in vita degenda deſignarunt. Ex his vero omnibus nullas ille cogitationes magis ad vſum ſuum atque alienum ſeponebat, quam quæ ſuauibus amoris ergà Deum virtutem igniculis excitandis idoneæ viderentur. Hinc exiſtebat facilitas prope infinita agendi quam-ſuauiſſime de rebus diuinis tam priuatim quam publice, vt neque iis qui pietatem amarent imparatus aut ieiunus, neque iis qui rebus humanis magis attenderent grauis vnquam videretur. Erat verò in eo tam exacta dum priuatim ageret, eius quæ inter viros honeſtos agendo loquendoque obſeruatur vrbanitatis peritia, vt nulli non opportunus & gratus interueniret. Quod ſi qui ipſum ſuæ rei cauſa conueniſſet, tum verò ſi qua cõmodare illi ratione poſſet, honeſtate, comitate & benignitate cum illo certabat egregie; aut ſi per ſua negotia non poſſet, tam decore ac modeſte excuſabat, vt non minus quandoque verbis, quàm rebus ſatisfaceret. Dixit pro teſtimonio Vir. Clariſſimus D. de Fleury, cuius in ædibus Pariſiis aliquandiu egit Cotonus; Henricum Regem, nonnullos Regni proceres ad eum quandoque deſtinaſſe, non eo tantum vt in iis quæ pertinebant ad fidem & pietatem inſtituerentur; ſed etiam vt ſubortas inter ſe de honore ac decoro cõtrouerſias ipſo arbitro componerent, periculoſaſque ac plerumque pernicioſas

ſas familiis cotentiones vitarent. Tantum Rex magnus in Cotoni ſiue peritia, ſiue ſuauitate, ſiue ad perſuadendum efficacitate ponebat. Sane eſt inter eos qui eius opera informati priuatim ad virtutem fuere res teſtatiſſima, mirabile fuiſſe eius ingenium, cum quid alicui vel ad ſalutem propriam, vel ad Dei gloriam ſuſcepiſſet ſuadendum. Tantum enim illi ſuppetebat vel in animo ardoris, qui ex oculis totoque vultu emicabat gratiſſime, vel in oratione ponderis & explicationis elegantiſſimæ, vt non vinceret ſolùm, ſed etiam adeò vincemdo mulceret, vt & vinci voluptas eſſet, & prius ſe victos homines ſentirent quàm vinci. Rari hactenus exempli fuit, vt idem quis publicè appareret, qui priuatim. Nam quoſdam ſolertia quæpiam & gratia in priuato commendat ſermone, quos in publico puſillanimitate obruta deſerit: Quoſdam è contra celſitas & erectio animi commendat in publico, quos moroſitas & quidam quaſi rigor priuatus ab animis alienat. Sed Cotono hoc fuit proprium, vt ambiguum relinqueret vtro ſermone plus valeret. Etenim quantus eſſet in publico non vnius vrbis aut prouinciæ; ſed totius quanta eſt Galliæ teſtimonio conſtat, cuius ille non tantum prouincias omnes, ſed etiam ciuitates prope atque oppida Dei verbum circumferendo percurrit. Erat autem fama illius tam illuſtris, vt non rarò cum aliquò aduentaſſet, atque in Eccleſiam, vt mos illi erat, ſalutatum Euchariſtiam iſſet, tanta eo vis populi, viſendi eius cauſa conflueret, vt iuſta illi videretur concio. Itaque vt erat ocreatus, ſumpta veſte concionatoria non differebat ad eos dicere, præſentia longo interuallo apud pleroſque famam ſuperante. Mira videri potuiſſet in alio tam improuiſa ad populum oratio; ſed in Cotono admirationem ex

assuetudine perdiderat. Testis mihi est vir grauis Ludouicus de la Sale è Societate nostra, aliquando se Cotono adfuisse cum palatium iam ineunti, vt concionem haberet coram Rege Henrico, ad ianuam occurrit Rex ipse subortis de repente negotiis alio euocatus; rogatumque de quo argumento concionem esset habiturus, iussit aliam in diem argumentum differre, sibi quippe animum esse illum ea de re audire. Paruit, & interposita vix semihora ad Reginam & Aulam quæ auditura conuenerat, aliam concionem nihilo cæteris deteriorem est architectatus. Alio tempore concionibus de Morte aliquot in Aula habitis, edixit in extrema se postridie dicturum de Iudicio vltimo, & Regina Margareta Valesia quæ tunc aderat magna cupiditate exarsit hac eum de re auscultandi, sed graui postridie impedimento interueniente misit qui suggestum prope subeunti nunciaret, optare se magnopere, concionem illam vt in aliam diem differret; nec recusauit Cotonus, populi tamen iam expectantis offensionem veritus, si concione omninò abstineret, aliam illicò de morte addidit, ad priores tam felici euentu, vt prouisas omnes ac paratas hæc improuisa & imparata visa sit vulgo superasse Accipe hoc extremum omni admirabilitate hoc in genere superius. Dixerat mane festo quopiam die in oppido, quo viri aliquot nobiles, eius audiendi auidi sibi mutuò condixerant, digressusque à concione statuerat ad vesperã in oppido altero quæ mane dixerat repetere, quòd hic quoque vtilia fore censeret. Sed ecce dum iam est in suggestu, crucemque sibi edita voce imprimit, videt nobiles eosdem qui matutini fuerant auditores templum ingredientes, nullaque vel perturbatione vel mora institutum mutat, ne illis sit offensioni, aliud

argumentum

argumentum proponit, aliamque concionem pertexit tam feliciter; vt Socio qui repetendæ concionis consilium ab eo in via didicerat, animaduersa mutationis causa, non admiratio sed incredibilis stupor tota concione incessetit. Sexcenta id genus exempla paratissimi ad omnes euentus ingenij memoriæque constantissimæ in Cotono iuuene æquè ac sene sunt obseruata, quæ nihil attinet fusius perscribere, quod & nulli eorum qui cum illo vixere non sint aliqua ex parte perspecta, & genus hoc omne commendationis vel à corpore, vel ab ingenio, non aliunde quàm ex coniunctione cum virtute, de qua nunc mihi disserendum est, efflorescat.

CAPVT X.

Cotoni officia erga Deum.

OMninò verò illustria fuere quæ ille in omni virtutum genere exempla edidit; sed ne sim quodammodo infinitus si stylo prosequi tentem omnia, tantum hic dabo aliqua eorum quæ ad summa Christiani officii capita pertinuere. Ergo cum ea quæ Deo deferuntur sint in eo officio potissima, quanta in illis fuerit quámque multiplex Cotoni virtus, ex iis opinor liquebit, quæ ille vel Catholicæ fidei, vel magnanimæ de Deo fiduciæ, vel incensæ erga eum charitatis, vel deuotissimæ religionis studio impulsuque suscepit. Atque vt de Catholicæ fidei studio dicamus ante omnia; Insigne est cum primis quod altero quam contra Hæreticos concionari cœperat anno, ad Catholicos Montilienses in Tricastenis literas scribens, quæ in Apo-

logeticis illius etiamnum extant, votum in hanc formulam concepit. Opto vt si quando exigua hæc industria ac facultas, quæ mihi de cœlo obtigit, aut vigiliæ, labores, verba, opera & sensus mel non conferantur ad fidem protegendam, propagandam ac promouendam, obliuioni detur dextera mea, & adhæreat lingua mea faucibus meis: Atque vt paucis omnia complectar nihil in posterum ingenij desidero, nisi vt eo intendatur, nihil virium corporis nisi vt pro eo certent, nihil pulmonum nisi vt hoc respirent, nihil sanguinis, nihil vitæ nisi vt fluat & expendatur in fidei vel defensionem vel obsequium. Enimvero abunde voti sui compotem factum nulla pars vitæ quam postea duxit, non aperte declarauit. Etenim cum Ministris Caluinianis ex condicto multis coram testibus & auditoribus ter publicè depugnauit, libros contra hæresim scripsit nouem, duodecim annis qui illi ab hoc voto ad Henrici Regis obitum effluxere nulla prope dies fuit, qua non aliquem vel instituerct, vel admitteret ad Catholicæ fidei professionem, vel peruicacem coram multis si non suo, aliorum certe bono non confutaret. Curæ autem erat Regis Optimi ne Cotono deesset quod in hoc negotio gereret. Nullus enim propemodùm Caluino addictus ad eum adibat, qui nilli daret in mandatis, vt Cotonum vel audiret concionantem vel priuatim de Religione conueniret. Neque vero huic operi dies toti fuere satis. Sed bona etiam interdum pars noctium fuit adiicienda. Habuit enim etiam Cotonus suos non rarò Nicodemos, qui humanis quibusdam vel cogitationibus vel timoribus ducti, nocturnam optarent disciplinam. Qua de re sic retulit Villaregij soror; miraculo sibi crebrò fuisse, quòd labori par esset Cotonus, quem non solùm die, sed

nocte

nocte etiam multa de Religione ardentissime disserentem cum viris Caluinianis crebrò audiret, dum apud se hospitem habuit; maxime cum nullæ eum vigiliæ, animique contentiones prohiberent, quin summo rursus mane ad nouos labores vigilaret expeditus. Iam Fiducia de Deo etiam nonnulli spem, alij spei diuinæ asseclam, curæ protectionisque eius certissimam expectationem interpretantur; adeò in Cotono abundauit, vt qui eum nouere propius, negent vllam in eo virtutem magis eminentem fuisse. Hinc enim illi ad magnos perpetuosque Dei causa ausus, animi alacres & excelsi; hinc desideriorum ac voluntatum omnium ex diuinis perfecta suspensio; hinc tranquillitatis, quietisque internæ perennis quædam ac cælestis in omni rerum humanarum euentu æquabilitas promanabat. Itaque nihil ille aut in se excitabat vehementius, aut in iis quorum saluti consuleret optabat crebrius, quam magnanimam de Deo fiduciam. Cuius rei testem inter multas quæ ad manus meas venerunt, dabo Epistolam ad Religiosam Virginem, cuius pars sic habet. Hoc tantum mihi nunc suppetit temporis, vt salute data ad fiduciam de Deo te horter. Quis enim animum despondere possit, qui cogitet sibi Deum esse pro patre, fratre, sponso, pastore, duce, doctore, tutore, curatore, amico, esca, præmio? Despondeant qui ista non credunt, aut quibus gaudium est & fiducia, Satanæ more, tota in seipsis. Fiducia nostra in eo sit, qui nobis est rerum omnium instar, qui miserias nostras sua misericordia abolet, atque imbecillitates potestate sustentat. At charitate in Deum quam fuerit incensus nemo ignorarit, qui vel leniter librorum quos de pietate scripsit lectionem vsurparit. Tendunt enim in eis omnia ad intima

animæ

animæ cum Deo per charitatem adhæsionem. Hic ille & quæ intrà & quæ extra Deum sunt omnia aduocat vt animo suo bene Deo volendi argumenta stimulosque subiiciat. Hic quo quidque in creaturis Deo propius fuit & carius, eo in amoris ipsius sensum intimumque complexum prius peruadit. Christum hominem, Virginem matrem, Iosephum eius sponsum, Ioannem Euangelistam, aliosque Deo diuersis rationibus coniunctiores, quibusdam gradibus amoris ac laudis prosequi non cessat, vt hoc quasi motu excitatus ad Deum cui illi adhærere, medullitus complectendum incalescat. Habeo ad manum eius methodum mente orandi, qua ille tota prope vita vsus ex libris, quos hoc in genere edidit variis temporibus facile intelligitur. Ea cùm ad varia possit aptari argumenta, tum in omnibus ad Dei amorem suauissimum plane dirigitur. Nam primam partem in Dei præsentia sensu intimo haurienda, demissoque ac puro animo adoranda occupat; secundam in sensu amoris ac delectationis suauissimæ de internis externisque Dei bonis; tertiam in consecratione oblationeque sui ac suorum omnium Deo, cum vehementi petitione vt ex Dei voluntate, in se & aliis cuncta transigantur. Sed nescio an amoris eius in Deum vllum extet vberius argumentum, quam quod obseruatum in ciuitate Catholica, vbi hæreticis controuersiis minus erat loci, conciones de amore Dei sententiis rationibusque diuersas ab eo habitas quinque suprà sexagenas, inter plures quas de aliis rebus triennio dixit. Denique tam dulci in Iesum Dominum amore ferebatur, vt cùm pios animi sui sensus haberet secretissimos, tamen tacere cuidam nostrum non potuerit aliquando; videri sibi nullius à se tantæ iniuriæ veniam, nullamque rem tantam ob

Iesu Christi amorem posse postulari, quin illicò postulata, quantum in se esset, concederet. Quid verò ad extremum dicam de piissima illius in colendo venerandoque Deo ac cœlitibus religione? Quam ad virtutem non ille tempora quædam & opportunitates, vt ad cæteras; sed omnia prope vitæ suæ momenta videtur destinasse. Si enim inter nocturnum etiam soporem, vt priore libro diximus, ad cogitationes in Deum defigendas satis vigil esse potuit, multò profectò oportet expeditius eum extra soporem illam in rem inuigilasse quæcumque tandem incideret occupatio, quæ nunquam eum magis quam somnus potuit præpedire. Narrant eorum quidam, qui confessionibus eius audiendis dum in aula esset, sunt adhibiti, vocante plerumque Rge Henrico cum in palatium venisset, contigisse vt principum optimatumque interuentu cogeretur horas interdum plures ad fenestram rectus astare, dum Rex negotiis cum iis qui interuenerant confectis iuberet eum accedere; atque eo tempore tanta illum mentis contentione in orationem ac meditationem solitum sese inuoluere, vt nullo strepitu commeantium, nullis colloquentium vocibus posset auocari; compertusque sit à Sociis plerumque, nec ad homines qui illic aderant, aduertisse, nec sermonum, qui grauibus admodum ac nouis de rebus circum eius aures conserebantur, sensu vllo pulsatus fuisse. Negabat satis perite illos facere, qui operosis exquisitisque præparationibus tunc tantum cum acceditur ad orandum colligi animum iubent. Optimæ quippe præparationis initium ab ipso vitæ instituto altissime duci, si homo ita res humanas in animo habeat, vt ab eis non habeatur. Nec illi aliunde hæc doctrina erat quam ab experimento domestico. Quod enim ipsum res creatæ

minimum

minimum distinerent, eo factum, quod plerique eorum qui ad orationem accedentem viderunt, asseuerant, vt quam primum genitu posito vela orationi expanderat, tota corporis immutatione appareret, littus illicò transuolasse, atque in orationis profundo secundissima iam tranquillitate nauigare. Quanquam nihil est quod magnopere hanc inchoandæ orationis procliuitatem in eo demiremur, cui ea quæ aliis est inchoatio, nihil reipsa esse aliud nisi orationis rarissime interruptæ continuatio poterat videri. Describit ipse hanc suam perpetuandæ quodammodo orationis rationem, in concione quam edidit de Oratione, vbi tum hæc tum alia orationis suæ lineamenta verbis communibus expressisse facile intelligitur ab iis qui rerum eius conscij fuere. Homo inquit spiritualis etsi loquitur, negotiatur, operatur coram hominibus, tamen non alibi animi obtutum figit quam in cœli ac terræ Regem, quem coram semper conspicit, & præ quo Reges ac Principes terrestres minimum quidpiam esse sentit. Si placere cuiquam conatur, illi certe Soli; si displicere veretur non alij quàm ipsi, nec homines aliis respicit oculis, quàm quibus Dei voluntatem, quæ postulat vt gratus illis esse satagat, quibus eius opera vult benefieri. Hoc ille pacto celsitatem sibi tantam animi parat vt terrena nunquam attendat, versetur que in vrbibus velut in desertis locis, atque in turbis hominum, velut in solitudine. Hæc fuit Cotono facilitas ac studium eius orationis quæ meditando transigitur, nec multum dissimile alterius quæ in diuina ope vel exposcenda vel gratissime agnoscenda occupatur. Nam ne plurima iam alibi commemorata hic reponam, insigne huius generis exemplum cui noster Ludouicus de la Sale se interfuisse testatur,

tantum adſcribam. Venienti aliquando in palatium Cotono obuius fuit è Regni proceribus vnus authoritate ac dignitate præcipuus, qui neſcio quid à Rege ambiens, eiuſque apud ipſum gratiam ſibi vtilem ratus, illi expoſuit quid poſtularet, vehementerque probare rei æquitatem conniſus, orare inſtitit, vt verba Regi ſua cauſa facere ea de re ne recuſaret. Vix ille abſceſſerat, cum Vir Princeps eadem occurrens via, gratiam eius implorauit, vt de re eadem contra quàm optabat prior, ſtatuere Regi ſuaderet. Ille magnopere veritus vel offenſionem alterutrius, ſi de ea re ageret cum Rege; vel vtriuſque ſi non ageret, Ludouico quem dixi laborem animi ſui ſecretò aperuit, cumque ambiguitatis non minus apud ipſum reperiſſet, poſtquàm peruenit ad palatium, ſubduxit ſe ſine ſenſu in angulum, poſitiſque humi genibus, diuinum conſilium oratione expetiit, retulitque eiuſmodi, vt quanquam diſtinctè non ſit agnitum; tamen euentus docuerit abſque neutrius offenſione rem tranſactam. Iam vt de Oratione quoque illa quæ voce enunciatur ſcribere non prætermittam, de Eccleſiaſtico precum penſo, cui ille exſoluendo prope eſt immortuus; inter Socios qui illi variis temporibus adfuere, alioſque morum eius in Aula & alibi gnaros conſtat, nunquam ab eo recitatum niſi in genua prouoluto, ſi ritus Eccleſiæ ſinerent; ac ſi quando labore vel itinere debilitatus ſedens aut rectus à ſuis eſt perſuaſus inchoare, nunquam quietem admiſiſſe donec in genua procubuiſſet. Et erat tanta ei conſuetudo verba ſententiaſque attente perpendendi dum legeret, vt falſus ipſe ſit aliquando nonnullis, Chriſtianæ fidei myſteria quæ Pſalmis aliiſque Officij diuini partibus etiam myſticè tantum aut propheticè innuuntur, menti interim ſuæ cur-

ſim ac dilucide in verbis quaſi in quodam ſpeculo ſolita obuerſari. Verùm vbi ad Euchariſticum ſacrificium ſeſe applicuerat, nullum erat attentionis, reuerentiæ, aut exquiſitæ pietatis genus, quod ille in animum non aduocaret, externiſque plurimum argumentis non proderet. Iam primum præter expurgationem animæ per Sacramentum Pœnitentiæ, quod non tantum quotidie, ſed etiam quam potuit proxime ante aditum Sacrificij ſemper obiit; ſolemne illi fere fuit ſeſquihora orationis vel mente vel voce exacta. Martyrologium perlegere, vt Sanctorum qui ea die colerentur patrocinia inter Sacra expoſceret, moxque ad Sacrificandum accedere. Tum verò etſi modeſtiæ ſemper erat ſingularis; tamen intentus Deo ac Sacrificio animus, tantum vultui totique corpori dignitatem ac compoſitionem addebat, vt Angelicum neſcio quid ſpiraret, atque ad pietatem ſpectantes commoueret. Deinceps etſi voces omnes ac motus graues erant, perpenſi ac reuerentes; tamen cum Sacramentum in manibus & conſpectu erat, omni amoris ac reuerentiæ genere animum & corpus ita occupabat, vt in cordis ſui ſinum velle Sacramentum priùs condere quam in os videretur. A Sacrificio non minus quàm ſemihoram inter quaſcumque occupationes gratiis Hoſpiti ſuo referendis inſumebat. Nec raro contigit vt ſenex iam & magiſtratum in Societate gerens, ſacrificio ſociis non tantùm auditor, ſed & miniſter poſtquàm ipſe ſacrificarat, adeſſe vellet. Neque verò hæc illi pietas à ſolo prouenit Sacerdotio ac Sacrificio. Nam inde à prima iuuentute cùm Vercellis humaniores literas profiteretur, tanta religione Sacramento participabat, vt meminerint adhuc noſtrorum aliqui, concurriſſe interdum Vercellenſes in templum, vt communicantis

municantis spectaculo, vel admiraturi, vel imitaturi si possent fruerentur. Idque ab Italis Patribus se accepisse, mihi affirmate est testatus vir optimus Franciscus de Canillac è Societate nostra. Cæterum si quid in iis quæ gerebat, perplexum illi, atque exitu difficile occurrebat, id fere explicatum ac procliue à Sacramento referebat. Itaque mos illi erat inter molesta negotia, cum ad Sacrificium adiret, dicere, Eamus ad consilium. Exploratum autem, est, internum animæ quorumdam, qui eius curæ suberant, statum, arcanasque necessitates illi sæpenumero inter Sacra fuisse detectas. Semel enim atque iterum cum de rebus suis occultissimis cognouisse, easque sibi mox à Sacrificio aperuisse sancte est testatus vnus ex eius Sociis.

CAPVT XI.

Cotoni officia erga alios homines.

PRoximum est vt de officiis Cotoni erga alios homines ea annotemus, quæ illi ardens charitas imperauit, vel generatim erga Ecclesiam, vel priuatim erga Societatem, alios Ordines Religiosos, ac cuiusque sortis homines. Nam quæ toti Regno contulit dum duobus adfuit Regibus, alteri deuexa ætate, alteri crescente, malo alienæ sit æstimationis quam meæ. Certe non est difficile coniicere, hominem pietate insignem, ingenio permitem, industria sagacem, amore præcipuum, ea Henrico Regi familiaribus colloquiis insinuasse, quæ & animum eius suauiter atque efficaciter permouerent, ad suæ alienæque salu-

tis studium, & toti Regno non leues afferrent commoditates. Legi Cotoni ad fratrem literas, quibus hæc ad se Henrici consuetudine suâ magnopere vt apparet læti ac permoti, verba est complexus. Ego te, inquit, non tantum pro viro Religioso ac meo Concionatore, sed pro fidissimo etiam atque amantissimo seruo habeo, mihique est animus me ipsum tibi, omni cum libertate, ac fiducia aperire. Fecit vt dixit, eumque postea arcanorum animæ conscium habuit, non tantum magna fiducia; sed etiam tanta interdum animi voluptate ac permotione, vt Cotonum audierimus narrantem, tam vberes illi quandoque dum mutuo agerent fluxisse lacrymas, vt suas ipse continere ad illius aspectum non posset. Non latebant hæc Caluinianorum peruicacissimos, qui omnia Regum bona suas solent interpretari calamitates, nec facile alia ex causa odia calumniasque maiores Cotono vanis vtique conatibus exsuscitabant. Sed quibus mollior ac melior erat animus, incredibile est quantum hac Regis de Cotono fiducia pellicerentur, vt errores apud illum deponere Ecclesiamque Catholicam augere vellent. Neque verò ipsi deerat industria bene vtendi Regio in se amore ad Ecclesiæ commodum multorumque hominum salutem. Vnum illius industriæ exemplum mihi à viro optimo Godrano Doctore Sorbonico & Congregationis Oratorij Presbytero, qui viderat commemoratum non puto hic omittendum. Duxerat nescio quis Regiæ domus administer coniugem muliebri id est cæca atque importuna peruicacia hæreticam, quæ illi non tantum blanditiis quibus poterat plurimum, sed etiam Bibliorum suorum testimoniis, Ministrorum Caluini aliorumque eius asseclarum colloquiis quotidie instabat ac prope

peruincebat

peruincebat, vt ad Caluinum deficeret, quod postquam Cotonus est subodoratus ad Regem iit, monitumque quantum ad domestici illius sui salutem vno aut altero verbo posset conferre, adduxit vt ei denunciaret, tolerare se quidem exteros Caluinianos ex Regni lege si ad Ecclesiam reduci se non sinerent, sed vt domestici sui ab Ecclesia auocarentur, se non toleraturum. Ille perculsus non leuiter hac Regis denunciatione ad coniugem rem detulit, nec quietem modo ab illa impetrauit in præsens, sed etiam de se antea prope triumphantem Cotono opitulante breui sub Ecclesiæ fideique iugum versa vice redegit. Leuia videri ista possunt, quanquam in conficienda hominum salute nihil est leue, sed leuia tamen videri possunt, præ iis quæ ad commune Ecclesiæ bonum ille adlaborauit. Nam exorsus ab Ecclesiæ Magistratu, Regi Henrico consilium eius plerumque expetenti tam modestè, prudenter ac religiose aderat, cum de eligendo Episcopo, Abbate, alio-ve Præsule quæreretur, vt extrema Regis ætate tanta esset optimorum doctissimorumque Præsulum in Gallia copia, quantam antiquiores vix meminerant prius fuisse. Verum haud leuiora his fuere quæ ille in ætate Regis Ludouici tenella sibi censuit suscipienda. Vixit enim annos prope septem in perpetua quadam quasi specula pro Ecclesia, vnde prouideret ne sibi hæresis nimium, vt solet illis temporibus, arrogaret; neu quidpiam Ecclesiæ detrimenti daret. Nihil erat in hoc genere tam abstrusum quod illum lateret, nihil tam arduum atque impeditum quod absterreret, nihil tam pertinax & laboriosum quod frangeret. Nullæ ei dierum magnitudines satis erant, cum malo cuipiam Ecclesiæ vel cauendum esset vel medendum, vt genus omne hominum
circumcur

circumcurſaret atque ambiret ſi res exigeret, perindeque omnibus ſupplex adeſſet ac ſubmiſſus atque ſi priuato ſuo vel ſuorum malo prouidiſſet. Cumque hanc eius ſollicitudinem nonnulli velut nimiam aut ſuperuacuam reprehenderent, ſolebat reſpondere, ſibi quidem mortuum videri dum viuit, qui cum aliquid poſſit nihil ſatagat, qui verò contempta Eccleſia in qua ſola æternæ ſuæ gloriæ pignora Deus depoſuit, alia omnia ſatagat: nihil ſibi videri ſatagere. Hæc ille Eccleſiæ publicè aut tribuebat aut cupiebat; ſed priuatim ſatis conſtat multa in loca Euangelij vocem iam pridem Caluinianis blaſphemiis eliminatam eum reduxiſſe; hæreticos non pauciores ducentenis priuata inſtitutione Eccleſiæ aſſeruiſſe, multo plures publica, ſed non tam compertos. Verum quanto ſtudio ferretur in ea quæ ad Societatem noſtram propriè pertinerent, duabus rebus inſigniter tota vita patefecit, fama illius & propagatione curanda. Etenim cum Rex Henricus qui ſero cognitam Societatem, tamen tam penitus habebat perſpectam, vt calumnias in eam vix admittere poſſet, rebus humanis eſſet ſubductus, facto agmine hæretici & hæreticorum aſſeclæ dilacerandam ſibi priuatim ac publicè verbo & ſcripto Societatis famam pluribus annis ſuſceperant, quibus omnibus ita ſe Cotonus vnum obiecit, vt totam Societatem latere tegere, intentaque in omnes tela ſuo excipere corpore videretur. Libros ea cauſa ſcripſit alicuius magnitudinis quatuor, plures pro temporum & rerum ratione exiliores, quibus non tantùm Societatis inſtitutum, ſed etiam Sociorum facta ac dicta à venenatis eorum quos dixi morſibus partim rationibus, partim ampliſſimis Europæ prope totius teſtimoniis præclare vendicauit. Hæc palam. Sed quas in cubiculo

çoram Rege & Regiis vitanda habuit petitiones, eæ fere illi plus operæ attulere. Tantum enim artificij ac ſimulationis ad calumnias machinandas Aduerſarij afferebant, vt nullius fidem non interdum commouerent. Itaque in palatium accerſitus quandoque de die, quandoque adultis iam tenebris, omni ſe illicò Cœleſtium præſidio communiebat,& denſiſſimas ſæpe tempeſtates præter ſpem omnem prætenta ſolertiſſime veritatis atque defenſionis face a noſtrum capitibus diſcutiebat. Legi literas ipſius ad Fratrem, quibus ſignificat, paucis hebdomadis pluſquam octonas eius generis calumnias in Societatem intentatas ſibi fuiſſe depellendas. Vt non ſit difficile hinc intelligere quantum aut illi Societas in Gallia deberet, aut ille ſe Societati debere iudicaret. Verum negotium illi fuit tametſi minus periculoſum; haud paulò tamen magis operoſum in Societate per Galliam propaganda. Æſtimari verò tum opera eius, tum pretium operæ poteſt ex eo,quod dum Aula exceſſit domicilia in ditione Regis Franciæ Societati reliquit circiter quadraginta tria. E quibus vt in Aquitanica ac Narbonenſi Gallia quaternum denum poſſeſſio, quam vix retinebamus, nobis per Edictum Regium rata eſſet allaborauit. Vt vero vndenum, quæ priorum temporum calamitas nobis eripuerat, partim per idem Edictum, partim per recuperatoria Principis reſcripta ius reciperemus perfecit. Denique vt octonum denum poſſeſſionem de nouo adiremus, non tantum Regium aſſenſum, qui benignus fere fuit ac procliuis,impetrauit; ſed innumeras etiam exhauſit moleſtias vt miniſtrorum Regis quorum ea in re operæ interueniebant, faciles haberet voluntates. His ſi addas Conſtantinopolitanam & Canadenſem Coloniam; ſi nonnulla Societatis

cietatis domicilia, quibus non authoritate tantùm, ſed manu etiam profuit, ſi vtilitates ſpiritales noſtrorum illuſtriſtiſſimis dum priuatus vixit exemplis, & appoſitiſſima ad omnem pietatem doctrina dum præfuit promotas; non dubito quin vnum ex amantiſſimis Societatis parentis filiis Cotonum ſis habiturus. Nam quid dicam de charitate eius erga reliquos Ordines Religioſos, quorum ſtudia in Religioſæ diſciplinæ ruinis ſarciendis ita amauit ac promouit, vt nullius potentiore apud Regem & Regios patrocinio vterentur. Agebat aliquando neſcio quam Religioſi Ordinis cauſam apud vnum è quatuor Amanuenſibus Imperiorum Regis, Illeque aſſiduitatem eius ac ſedulitatem pertæſus, nonnulla ei cœpit obiicere de inutilitate tot Ordinum Religioſorum; quæ Cotonus eo animi ardore repercuſſit, docens temporalem Regnorum ſtatum non alio beatum eſſe quam ſpiritali, vt omnes qui aderant intelligerent veram illi bilem his tantùm ex cauſis concitari. Neque verò illis intra verba tantum ſubſidio erat, ſed non exigua etiam Optimatum Regiſque benefacta ad eorum ſubleuandam egeſtatem nonnunquam corrogabat. Nec ſegnius vtilitatibus eorum ſpiritalibus inuigilabat. Virginum enim cœnobia aliquot, partim diſciplinæ priſtinæ reſtituit, partim legum omnium quas olim habuerant oblitas, de Epiſcoporum ſententia nouis inſtitutis informauit, partim inter ipſa ſua incunabula vix aſſurgentia conſiliis atque auxiliis ſuſtentauit. Nihil attinet ad extremum magnopere laborare, vt calculos ſubducamus cæterorum hominum, quibus ille commodus in vita eſſe ſtuduit, cum ſpiſſum ſit ac prope infinitum negotium, atque ex iis quæ diximus ſatis perſpiciatur plus multo ſui temporis aliis eum

tribuiſſe

tribuisse quam sibi. Concordiam familiis inter se conciliare ars ei fuit præcipua, quod nulla esset tanta animorum exulceratio quam ille suaui verborum pharmaco non leniret. Itaque in hoc genere officij inde à primis quibus concionatus est annis creberrime & laudatissimè est versatus. Sed nulla in eo ars fuit vel dignitate prior, vel vtilitate vberior, quam serenitatis turbatis mentibus restituendæ. Quam artem non solum plerique è Societate crebrò atque insigniter se expertos affirmant, siue consilij causa priuatum adierint, siue ad reddendam de statu animi rationem ab eo fuerint cum præses esset, accersiti. Sed eam multo maxime senserunt qui illum conscientiæ actionumque intimarum moderatorem nancisci potuere. Referunt enim, labores animorum explicantibus patientissima & tranquillissima audientia adfuisse, ac fere verbo vno aut altero quietem attulisse. Neque verò secreto se potuit continere ista seu gratia Dei seu industria eius; sed ad familias vtriusque sexus Religiosas, præsidum priuatorumque rogatu ita quandoque se extendit, vt agnoscant etiamnum aliquæ multum sibi ab illo non raro ea re fuisse commodatum. Scripsit Duuallius Doctor Sorbonicus in vita Mariæ de Incarnatione Carmelitidis, quæ magna sanctitatis fama Parisiis floruit, nulli illam hominum secreta animi sui penitius aperuisse quàm Cotono, postquam illius semel industriam degustauit: eodemque virtutis eius sensu ductam Angelicam de Trinitate Illustrissimi Ducis Brissacij filiam, quæ inter Carmelitidas sanctè vixerat, omnes mentis suæ labores ac sensus in Cotoni auribus per Confessionem deponere morituram voluisse, speique ac consolationis plenissimam vita excessisse. Alius quispiam in vita

Catharinæ de Iesv tradidit, aduocatum item à pia illa Virgine Cotonum, vno verbulo æstuanti scrupulose animo pacem ac tranquilltatem conciliasse.

Capvt XII.

Cotoni officia erga seipsum.

POstremum genus officij sibi proprie Cotonus impendit, siue in virtutum quas ex voto susceperat excolendas, siue in aliarum, quæ animum intra seipsum componunt, exercitatione. Atque vt ab illis auspicer, quibus ille moderatus est delectationibus corporeis, quando satis vt opinor est compertum ex iis quæ diximus, castimoniæ studio nec illi quidquam visum antiquius, nec diuina liberalitate concessum vel vberius vel procliuius, tria tantùm adiiciam, immensæ illius puritatis consectaria, ab iis qui de rebus eius nos admonuere, vt verissime ita meritissimè obseruata. Primum fuit perennis quædam verecundia, cuius, vt scribit S. Ambrosius, societate castitas est tuta. Etenim extrema etiam senectute ad omnem vel occursum vel sermonem vel actionem aliorum inconditam, eodem modo pudore vultum suffundebat, atque in prima adolescentia, tametsi non eâdem causa. Nam quem tunc colorum nouitas forte & imperitia, eum posteà impensum honestatis studium exprimebat. Alterum fuit, sensuum custodia vigilantissima, quæ non tantum præstabat illum tutissimum inter aulica gynæcea & magnam matronarum, quæ piis illius vtebantur consiliis multitudinem; sed etiam se in omnes quibus ille assueuerat, propagabat, vt communem

communem quandam modestiæ legem indicere, cum ad eos adierat, videretur. Tertium, sensus quidam horrorque maximus impuritatis in iis qui se illi labe quacumque lasciuiæ fœdati applicuissent. Condixerat enim aliquando aulico cuidam ad Confessionem in posterum diem, & erat ille solutissimæ vitæ. Ergo nox Cotono integra inter tam tetros fœrores est transacta, vt nec quietem caperet, nec ante quidquam olfacere suaue posset, quàm hominem Sacramento expiatum menti restituisset saniori. Contigit aliàs vt aliquis impuro oculorum coniectu maculatus, sacrificanti ministraret, cui Cotonus post sacrificium, in partem euocato absque arbitris. Ego inquit conscientiæ tuæ recessus nolo peruadere, sed magnopere tibi autor fio vt ipse non segniter penetres & discutias: Nam tantus abs te fœtor efflauit, tantusque mihi tui horror toto sacrificio incessit, vt non putem frustrà me tibi huius rei autorem esse. Veniam simul postulabat si quid offenderet. Sed ille culpam altissimo confessus pudore, & tunc cœlestem Cotoni perspicacitatem puritatemque demirari non cessans, actis ex animo gratiis ad remedia mali sui conuolauit, & post eius mortem, rem totam ita vt recitaui ad diuinam gloriam enunciauit. Porro tam exactam corporearum delectationum castigationem obtinuit, forte ille quidem externa corporis afflictatione nonnulla, siue quia indicta ab Ecclesia ieiunia tam religiosè obseruabat, vt inter quotidianas conciones Quadragenarium nunquam soluerit, quamuis sexagenario iam maior; & quo anno mortuus est biduo tantum ante mortem cum iam admodum male haberet, ab eo se abduci sit passus; siue quia duobus in hebdomada diebus per annum, tribusque per Aduentum abstinere, priuata lege con-

ſueuit, ſiue quia nonnulla id genus alia domandi corporis exercitamenta vſurpauit. Verùm nec vlli rei debere ſe amplius ille cenſebat, nec ab aliis deberi optabat, quàm incenſo Dei amandi, verendi, venerandique ſtudio. Illud enim habebat in ore, ſenſus noſtros poſt primi parentis peccatum, quaſi agrum quendam eſſe maligni ſoli, qui ſpinis ac ſentibus ſtatim vt ceſſauit cultura, fruticetur. Ergo vt in eiuſmodi agro lentum ac frequenter operam fruſtraturum negotium ſuſceperit agricola, qui ſarculo vel runcina ſentes conetur ſigillatim exſcindere vel extirpare, maligno ſolo dùm alibi purgatur, alibi noxiam ſegetem reponente; multóque ille procliuius ac fructuoſius fauente aurâ ſentes earumque ſtirpes omnes vno oblato incendio aboleuerit. Ita ad corruptorum ſenſum noxias delectationes extirpandas, qui externæ tantùm caſtigationis ferro vtatur, eum nec certiſſimam, nec breuiſſimam animo ſuo culturam adhibere. Qui verò doloris intimi, amoriſque diuini in ſe flammas crebrò exſuſcitet, non tantùm ſenſus ſuos illis quaſi ſentibus breui liberare; ſed egregia etiam virtutis fruge animum certo conſerere. Hæ fuere Cotono artes moderandi corporeis voluptatibus; ſed vt animum haberet ratione ac diuina voluntate probe ſubactum, has in primis virtutes amauit; Humilitatem, omnis obedientiæ parentem: Æquitatem animi, patientiam & ſeueritatem in ſeipſum, quarum exempla aliquot ab eo edita ſi commemorato, puto ſatis oſtendere, fuiſſe Cotonum quantum fas eſt homini, omni bonorum genere in vita perquam abſolutum. Enimvero quantos ille in humilitate progreſſus feciſſet, Henricus Magnus perſpicaciſſimi vir iudicij, non tantùm verbo declarauit, dum vt iam narraui,

raui est professus, hominem se qui Cotono humilior esset nouisse neminem; sed etiam facto. Nam cum ad eum quispiam adiisset aliquando haud satis pro Maiestate eius demisse, Cotonum illico iussit accersiri, qui diuinam vt solebat in Rege imaginem intimè contemplatus, demississima honoris venerationisque genera, quæ inter fauores quoslibet ac familiaritates, nunquam omiserat, cum vsurpasset, muto quodam magisterio, vt Rex optarat, alterum officij sui egregiè commonefecit. Neque vero erga præstantiores magis quam erga pares aut inferiores humilis fuit; quod duorum è nostris hominum Hispanorum testimonium docuit. Illi enim cum Parisiis iter haberent, à Cotono ad videndum Regem, vt velle illum sciebat, adducti, coramque experti inusitatam Regis tum erga Cotonum beneuolentiam, tum erga se humanitatem, interrogantibus posteà quid ib Aula vidissent, respondebant duo se vidisse miracula: Alterum in Rege, ob insigne magnanimitatis cum humanitate coniugium; Alterum in Cotono, ob incredibilis fauoris & amoris Regij cum immensa humilitate consortium. Est verò in hoc genere præclarissimum, quod vir spectabilis Franciscus Ioullet Castillionæus à Cōsiliis atque Eleemosynis Regiis nobis religiose asseuerauit. Quo tempore Cotonus apud Henricum IV. gratia & beneuolentia florebat maxime, sibi contigisse vt cœlo immoderate pluuio maceratus vndique aqua & luto ad hospitium vbi iam Cotonus erat, aduentaret. Ibi Cotonum sua incommoda miseratum, & alia quædam ad se confouendum aggressum, & nulla vel tergiuersatione vel reluctatione prohiberi potuisse, quin sedenti aduolutus ad genua extremi famuli in morem ocreas sibi è pedibus detraheret impendio lutulentas.

Sed

Sed erat in Cotoni humilitate illud præcipuum, quod nihil haberet non tantùm affectatum, ſed ne exquiſitum quidem. Oblatam enim humilitatis externæ occaſionem ſumebat potius quam captabat. Nam & magiſtratum in Societate gerens, nihil eorum quæ eius loci hominibus tribui ſolent aut recuſabat aut quærebat, & in conuictu communi cum noſtris, tametſi Fratrum illiteratorum colloquio plurimum delectaretur, nec vllis de intimo animæ ſuæ ſtatu apertius ſit vnquam loquutus quàm illis: minore, vt opinor ſuo periculo, maioreque illorum fructu id ſe facere ratus; tamen congreſſus illos iucundius omni tempore admiſit quam quæſiuit. Illud verò enixe ſemper cauendum cenſuit, ne eas humilitatis externæ occaſiones quæreret, vnde peccati anſam alij poſſent arripere. Expoſtulabat neſcio qua de re cum illo vir quiſpiam, & exulcerato dolore animo aliquoties interrogabat quem ſe eſſe exiſtimaret, cumque Cotonus reſpondiſſet, vilem terræ vermiculum, ſubiecit ille, ne pro vermiculo quidem ſe illum habere, ſimulque contumelioſa multa atque iniuroſa adiecit. Quibus violari charitatem Cotonus cernens non tantùm occaſionem quæ ampla offerebatur, externæ humilitatis ſumere non inſtitit; ſed tacitus etiam vocem illam ſuam tunc coarguens negauit in poſterum placere ſibi emiſſam. Hac ille moderatione cum in externa humilitate vteretur, tamen & nullum ſeruabat modum in ſui actionumque ſuarum apud ſe contemptione, deſpicientia ac redargutione, vt mox dicam vberius; & perpetuus erat in animo ſuo ſub Deum deiiciendo, cuius à prouidentia continuiſque auxiliis pendere ſe totum, & ſentiebat lubens & iucunde gratulabatur. Hinc manabat alterum illud bonæ mentis in Cotono indicium, conſtans

constans quædam atque immutabilis animi æquitas. Cum enim abs se impetrasset, vt nihil haberet non tantum acceptius, sed etiam optatius, quàm Deo subesse, suaque omnia ab illius nutibus suspensa sentire, quamcunque illa vergerent in partem, parem animo quietem capiebat, quia pari votorum fine, nempe diuinæ voluntatis obsequio potiebatur. Meminimus qui cum illo diu versati sumus, videre nos hominem dum iuuenis esset in studiis laboriosissimum, operibus alienæ salutis causa susceptis exercitatissimum, contentionibus cum hæreticis agitatissimum; dum autem ætate maturior esset, vitamque in Aula duceret, eorum qui palam erant hæretici maledictis, immo & plagis conscissum, eorum qui occulte fouebant hæresim famosis libellis & calumniis iactatum, eorum qui Regis erga ipsum beneuolentiæ inuidebant occultis artibus in inuidiam adductum; denique dum ætate iam deuexa Societatem regeret, multis priuatim difficultatibus ac publicè concussum. Nemo tamen nostrum meminisse potest aut oris in eo serenitatem obscuratam aliquando atque offusam perturbatione animi, aut sermonis suauitatem impatientia exasperatam, aut factum aliquid ab eo vel designatum animo insedato. Cum nocturnus quidam tenebrio corpus eius gladio violauit vt diximus anno sexcentesimo quarto, spectaculum fuit, vt refert Virginum Carmelitidum quæ Aureliani sunt præfecta Maria de IESV, Illi ac Parisiensibus reliquis quibus eum videre per Regem licuit permirum; quod viderent hominem tanto scelere & iniuria ad præsens mortis periculum adductum, vultu, verbis totaque corporis compositione tantam animi tranquillitatem spirantem, quantam nemo sanus atque illæsus ostendere

dere potuisset. Neque verò sibi tantum illam amabat animi æquitatem, quæ ex diuinæ prouidentiæ respectu nascitur; sed eis etiam qui consiliis ipsius vtebantur enixe commendabat. Conquerenti enim cuidam de molestis vicibus animæ suæ, quæ à sensuum spiritalium abundantia momento temporis in egestatem transiret, sic rescripsit: Quod postulas quid in copia vel inopia tua agendum videatur, ego hoc vnum tibi omni opere agendum censeo, vt te agi sinas: Dominus enim, qui charitate infinita animis nostris tanquam re sua vtitur prout vult, ipse est quo semper agimur nisi obstamus. Alteri cuidam de interno statu suo plus æquo laboranti: Non recte inquit, tibi consulis, si plus de miseria tua diffidis, quam de misericordia Domini confidas: Ipsius omnino es quidquid es: sine ergo vtatur re sua pro libito, siue ægre siue benigne faciat, siue tribuat siue neget, siue pace siue bello exerceat, tranquilli gratique Deo animi est, æqui bonique cuncta facere. Iam egregiam istam animi æquitatem duplici stiparat præsidio, mira alienorum morum ac lapsuum patientia, & incredibili suorum impatientia. Ac de ea quidem patientia testimonium habeo ab Andrea Duuallio Doctore Sorbonico Theologięque Regio Professore, quod propter eã quam de Cotoni rebus habuit notitiam, egregiamque viri eruditionem ac fidem, verbis prope annumeratis è Gallico Latinum faciam. Patientia, inquit, illius cum laboribus & humilitate certabat; Cum enim moris sit vt quos Reges beneuolentia fauoreque suo sunt dignati, ij calumniis & inuidiæ tot hominum obiiciantur, quot eisdem fauoribus vel inhiant, vel se digniores esse gloriantur, non potuit Cotonus effugere quin inuidia calumniaque pulsaretur, sed pulsaretur tantum non

non de ſtatu bonæ mentis depelleretur. Exemplo ſit vir quidam de Pariſienſi Academia, qui cum Theologicos neſcio quos libros Cotono pro familiaritate mutua commodaſſet, ac poſt aliquod tempus recepiſſet; ſchedas quaſdam intrà libros per obliuionem ab illo relictas nactus ad primarium Aulicum non tantùm Caluinianum, ſed etiam Caluinianorum in Gallia patronum maximum, eas detulit. Qui ratus ſe Cotono ægerrime poſſe hac in re facere, ſchedas illas Henrico Regi non abſque ſuſpicionum ſuarum appendicula in manus dedit. Sed Cotoni erga ſe fide amoreque certiſſimus, indicium & ſuſpiciones contemſit. Contigit haud diu poſteà vt agentem mecum familiariter Cotonum ex occaſione interrogarem; noſſet ne illum quem dixi virum Academicum? Ille nihil aliud reſpondit, niſi cauſas quaſdam interceſſiſſe cur cognoſceret. Adeò illi mollis erat ſermo de eo qui honorem ſalutemque eius per hoſtes Fidei vocare in periculum prodita familiaritate non dubitaſſet. Sed ſeruabat ſolemne ſuum Cotonus, qui cum alias ſemper probè noſſet eos à quibus ſcriptis etiam libellis inceſſebatur conuitiis & calumniis, tamen nec aduerſus illos verbum faciebat vllum, nec impigre pro illis laborabat, ſi qua occurreret occaſio illis commodandi. Hactenus eo loco Duuallius. Sed alio loco ſcribit interfuiſſe ſe non rarò quibuſdam ipſius cum literatis honeſtiſque viris congreſſibus, in quibus vbi inciderat de re quapiam ad ſcientias pertinente ſermo, Cotoni conſuetudo eſſet ſententiam de ea ſuam perſpicuè admodum ac diſerte exponere. Si quis tamen, vt fit, ingenij opinione vel iactantia contra niteretur, deſpici ſe potius ac prope proteri pateretur, quam vt moleſtus eſſe renitendo periclitaretur. Addit Duuallius animaduerſum

aliquando à Maria de Incarnatione quæ celebri Sanctitatis opinione in Carmelitidum Ordine vitam finiit, cum Cotonus ſpiritualia initurus exercitia pro Societatis more, preces ipſius, ipſius, quas faciebat maximi, imploratum veniſſet, ſocium eius Sacerdotem grandæuum neſcio quibus negotiis alio pertractum, poſt nonnullam cum ea moram, præciſe admodum ei edixiſſe vt veniret, quòd alio etiam eundum eſſet: Et Cotonum Regio tum maxime fauore hominumque obſeruantia inclytum, obruptis quas inchoarat vocibus tam demiſſe ac placide ad eum illicò acceſſiſſe, vt fœminam de virtute præclare iudicantem admiratione compleuerit. Non eſt diſſimile quod referunt alij per eadem aulicæ eius gratiæ tempora contigiſſe. Dum enim die quapiam domum ex Aula ſe reciperet ad veſperam, occurrit ei ad exitum palatij Princeps quiſpiam de Regia Borboniorum familia, qui contenderet docendum illum abs ſe de re graui atque inſtanti. Cuicum aures negare ſine offenſione Cotonus non poſſet, atque ille rem ſane grauem pluribus explicaret, factum eſt vt antequam primæ ſe intenderent tenebræ domum reuerti non poſſet. Reuerſo occurrit, qui domui præerat, eorum quæ inter ipſum & Principem illum interceſſerant plane ignarus, ratuſque ſui officij eſſe, illam in reditu tarditatem non prætermittere tacitam, Cotonum ea de cauſa non leuiter verbis increpitum, vetuit in poſterum idem peccare: Ille verò deiectis in terram oculis, manibuſque modeſtiſſime intrà pileum collectis, veniam poſtulat, atque emendationem ſpondet, nulla de obiecto ſibi impedimento voce emiſſa. Quod tamen vbi ex ſocio eius eſt intellectum, mirifice Cotoni humilitatem ac patientiam apud omnes commendauit. Et erat ſane inter aulicarum ſiue adula-

tionum

tionum ac plausuum blanditias, siue occupationum molestias ac fastidia, tanta vel humilitas vel patientia permira, quamuis nec in eo noua, nec cum vita aulica antiquata. Nam viriles vix dum annos inierat, cum sacris ordinibus initiando ad morosum quendam senem qui examini præerat deductus est ab vno è nostris viro graui & erudito, cui cum sedem postulari ab illo sene aduerteret, accurrit vt erat officiosissimus sedemque obtulit. Senex intereà suspicatus Cotonum sibi ipsi sedem afferre, superbissimum appellauit, vocibusque aliquot contumeliosis male deinde acceptum stare in angulo iussit: stetit ille suffusus verecundia, nec vllum verbum defensionis suæ causa commutauit. His similia exempla patientiæ non vulgaris, Henrico Magno acerrimi iudicij viro vocem illam vt verissimam ita plane honorificam crebro expressere: Cotonus de nemine male censet, & nemini vnquam succenset. Verùm omnium rerum hominumque patientissimus Cotonus, sui vnius erat impatientissimus. Instabat enim sibi perpetuò cogitatione atque interdum etiam verbo accusator quæsitorque asperrimus, vt amorem suiipsius bonorum operum labem communissimam detegeret atque eliminaret. Itaque quinquennio fere ante mortẽ hæc scribebat ad Virginem Carmelitidem. Si cuiuspiam, inquit, memoria dignus essem, hanc vnam vellẽ illum pro me gratiam à Deo continuò exposcere, vt bonitati eius placeret tutũ me à meipso præstare: satis certus, nec Deum, qui vtilitates suas cum nostris artictissime copulauit, offendi à me posse nisi mecũ, nec me nisi à meipso. Rursum verò aliis in literis, quæ sunt de latebrosis insidiis amoris sui ipsius, his quasi coloribus mores suos depingit. Hæc inquit, nobis est continua exercitatio, vt anima nostra sibi ipsi displicens placeat

Deo, eique illum honorem exhibeat, vt amore eius amorem ſui, latentem domi hoſtem, nocte ac die oppugnet. Nihili ſunt labores externi præ hoc interno, cuius is fructus eſt vberrimus, vt cœlo toti conſtet idem nobis diſplicere quod Deo, ac ſi quid forte amor noſtri furtim extorqueat, id longe inferius eſſe ea voluntate qua contra nitimur. Cæterùm quam aſſiduus eſſet in hac exercitatione Cotonus, agnouere in primis ij qui confitenti aures præbuere, qui etiamnum atteſtantur tantum fuiſſe illius in erratis ſuis diſquirendis ſubtilitatem, vt vix vlli errata apparerent, quæ ipſe interdum vehementer accuſabat ac deteſtabatur. Atque cum moris ſit in Societate, vt in ſuam quiſque bis in die inquirat conſcientiam, his temporibus tam vehementem Cotonus in ſe exercuit quæſtionem, tamque acri ſeipſum notauit cenſura, vt compertus ſit à Sociis plerumque manantibus toto vultu lacrymis inde exiiſſe. Verùm breuia nimis illi videbantur ea tempora præ ſtudio internæ puritatis. Itaque nulla ei pars temporis ab hominum congreſſu ſupererat, qua non ſtatim regrederetur in ſeipſum. Quare ſiue legeret, ſiue ſcriberet interdiu, ſiue quietem noctu captaret, audiebatur identidem has atque id genus alias voces repetere. Domine miſerere mei! Hei mihi peccatori! Sana Domine animam meam, quia peccaui tibi! Quas cum tota vita crebro vſurpaſſet, tum ea die ac nocte quas vixit extremas, nullum finem fecit iterandi: vt ſatis appareret illum inter aſſiduam pacis veniæque diuinæ poſtulationem & ducere antea ſpiritum & reddere ad extremum contendiſſe.

CAPVT XIII.

Plures Cotoni Virtutes Illustrium proborumque virorum testimonia produnt.

TEstimonia hominum pietate, probitate, atque authoritate insignium multo iis, quas dixi, plures Cotoni virtutes prodidere, quarum exempla illis constitisse ipsa docet fides testimoniorum. Ergo Illustrissimi Cardinalis Rupefocaldij sensus est, Cotonum præter eruditionem atque eloquentiam non vulgarem, pietate etiam fuisse tenerrima, atque integritate testatissima, quod illo maxime tempore constiterit cum Aula abiit. Tunc enim qui contra integritatem vitæ quam in Aula annis quatuordecim duxerat in maxima, vt tunc solet, loquendi libertate quidquam diceret, neminem esse inuentum. Subnectendam huic puto Francisci de Sales Episcopi Geneuensis, viri sanctitatis opinione celeberrimi sententiam, quam ab eo dum viueret, literis sermonibusque expressam affirmauit, præclaroque Cotoni elogio auxit vir Reuerendissimus Andreas Sauzeanus Episcopus Bethleemiticus, qui arcanorum prope omnium Francisci de Sales diutissime particeps fuit. Is vero sic scribit. R. Pater Cotonus maxima semper fuit apud Dominum de Sales opinione, ac quoties se dedit occasio, audiui illum verbis singulari veneratione plenissimis de eo loquentem. Nec ambigo quin si hactenus in militante hac Ecclesia mereret, suffragio suo publice testaturus fuerit, vitam illius serui Dei, præclarissimis exemplis fuisse plenam. Paucisque interpositis

positis addit. Mihi certe admirationi semper fuit excellens magni illius ac fidelis Deo serui eruditio coniuncta cum probitare ac virtutibus,quas ei Deus impertierat eminentissimas. Itaque post longissimam vsque ad mortem perseuerantiam, iudicari aliud non potest,quám præclaræ illius animæ coronam iustitiæ à Deo impositam, ob labores officiaque prope innumera, quibus ille Ecclesiam eius iuuit ac prosequutus est donec vixit. Gabriel Albaspinæus Aurelianensis Episcopus, vbi Cotoni mortem inaudiit, ad vnum è nostris ista scripsit. Mortuus ergo est optimus Pater, cui similes multos non habetis. Nec scio an plus in eius morte Societas vestra, an Ecclesia, an Francia, an Viri omnes honorati amiserint! Erat enim meo iudicio innocentissimus, mitissimus, & amore hominum dignissimus. Sed vt abeam à Pontificiis infulis,Vir Illustris Michaël de Marillac Regiorum Sigillorum Custos vigilantissimus asseuerauit, Cotonum sibi in vita notissimum, virum fuisse pietatis ac probitatis testatissimæ; sed Religiosæ inprimis simplicitatis candore conspicuum. Petrus verò Berullius Congregationis Oratorij in Gallia Præses, longo vsu atque intima consuetudine Cotono coniunctus, hæc tria in illo insigniter obseruata testatur; Animum continenter Deo adhærescentem, inuiolatam lenitatem, morum omnium sed pietatis maxime æquam in exitu atque in aditu Aulæ integritatem.Accedat his Andreas Duuallius, qui vbi plurima de illius virtutibus memoratu dignissima annotauit, quæ nos variis huius historiæ locis inseruimus, sic extremo scribit.Mitto hæc pauca quasi stillam in pelagus virtutum, rerumque à Cotono mirabiliter gestarum, sed nonnullum meæ in eum deuotissimæ voluntatis argumentum. Denique Claudius

dius

dius Robertus vir eruditiſſimus atque optimus, Cotono hoc monumentum adornauit, in Galliam ſuam Chriſtianam inſerendum. Obiit anno 1626. R. P. Petrus Cotonus Societatis IESV, dum Pariſiis apud Sanctum Paulum maximo concurſu, fructu, ac plauſu in Quadrageſima concionaretur. In hoc autem Heroë inter homines verſante domicilium perpetuò fixit facundi oris & boni pectoris alias rara, vere ſingularis cognatio, intus & extra palam, ſemper & vbique bonis omnibus cognita, dilecta, culta, pueris etiam viſa, ſed noctuarum ac veſpertilionum ad lumen ſolſtitiale caligantium & cæcutientium oculis inuidentibus inuiſa. Itaque merito viri huius tumulus (ſi quis quamuis ære perennior tanti ſit nominis capax) carmen hoc inciſum æternæ poſteritatis memoriæ commendandum ſeruabit.

Antiquæ Gallorum pietatis
Acerrimus idemque mitiſſimus
Vindex Petrus Cotonus,
Diris hæreſibus profligatis,
Malis moribus fugatis,
Purpureo charitatis lumine
Quaſi veſtimento amictus,
Mortales in terris ſuſpiciendas modo exuuias
Olim in Cœlis immortales ſuſcipiendas reliquit.

Nolo hoc loco miſſa facere teſtimonia ſacrarum quarumdam Virginum, quibus eò notiores fuere Cotoni virtutes quo diutius ad eas ab illo ſunt eruditæ. Maria de IESV Carmelitidum Aurelianenſium Præfecta ab ætate prope tenera ſpiritalibus Cotoni vſa conſiliis, audita illius morte has ad eius ſororem literas dedit. Aſſeuerari, inquit, poteſt mortuum eſſe Cotonum morte iuſtorum, vt immortaliter Deo viueret. Id videlicet

perſuadent

persuadent in primis Religiosa vita quam duxit annos quadraginta duos exactissimam, deinde labores continentes ad Dei gloriam, & obsequium Ecclesiæ, Ordinis sui, totiusque Franciæ suscepti. Tum incredibile studium salutis omnium hominum & exempla sane innumerabilia religionis & pietatis, innocentiæ & candoris, mansuetudinis & charitatis, modestiæ & humilitatis, rectitudinis ac puritatis consiliorum operumque omnium. Denique cura quædam inexplicabilis voluntatis suæ ad diuinam, quæ illi perpetuo erat ob oculos, adiungendæ; quo fiebat vt cum vel minimo indicio quidpiam Deo gratum esse comperisset, nulla re prohiberi se sineret quin id ageret; cum autem è contra ingratum, nullis suasionibus adduci se pateretur vt vellet. Harum aliarumque virtutum perpetua exercitatio satis persuadet cœlo eum esse receptum, nobisque potius eius precibus opus esse quàm illi nostris. Ac fatebor equidem magnam mihi in eius ope positam esse fiduciam, quam vt tu pro necessitudine, quæ cum illo tibi intercedebat, nobis implores magnopere opto; atque si quid eorum quibus ille in vita est vsus habes ad manum ad nos quæso des perferendum. Sic illa. Ex eadem Cotoni disciplina fuit Magdalena de S. Iosepho, quæ Parisiis maiori Carmelitidum Monasterio nunc præest, atque de eo iam demortuo ista scripsit. Nō ausim equidem attingere maximas atque admiratione dignissimas Cotoni virtutes, quod iis explicandis non satis mihi facultatis esse animaduertam. Illud tamen asseueranter dixerim, expertam me in illo manifestissime variis occasionibus donum Prophetiæ; nec caruisse sanctam eius animam plùribus aliis diuinis priuilegiis sat scio: quæ vt agnoscant homines, ac pro dignitate venerentur diuina vt spero bonitas perficiendo aliquando.

CAPVT XIV.

Cotoni Rerum occultarum præsensio.

ADmoneri me hinc sentio vt huic tractationi de Cotoni virtutibus subtexam breuiter alteram de signo virtutum eius duplici: Prophetia, & Mirabilium patrandorum facultate: quarum argumenta non pauca mihi supersunt iis adiicienda, quæ toti inspersi historiæ, quòd vel eorum tempora non satis perspecta, vel morte eius fuerint posteriora. Igitur tam excellens erat Cotono pietas animique deuotio erga beatissimum illum Spiritum cuius in custodiam præsidiumque à Deo traditus fuerat, vt & ancipites deliberationes suas amica quadam plenaque venerationis fiducia ad eum refere nō dubitaret, & ab illo non tantū consilij in ambiguis cōpos; sed etiam rerum plerumq; futurarū & latentium conscius reuerteretur: Meminere qui iter agentem sunt comitati, eum creberrime, cum quid vel de periculosa vel de incommoda via ambigeretur, secedere nonnihil ab arbitris solitum & obnupto inter manus vultu sedentem, vel genu nixum aliquandiu perseuerasse, reuersumque subinde eundum aut non eundum hac vel illac renunciasse euētu felicissimo, nec finem facile fecisse posteà Custodis Angeli in periculis à se auertendis beneficia vel commemorandi vel commendandi. Quanquam non ad eum crebrius quā ad alios pertinebat illa quàm ab ipso consequebatur rerum futurarum latentiumque prænotio. Scripsit aliquando ad Iacobum Cotonum maiorem natu Fratrem, visum sibi quadam antequam scriberet die, hu-

mani generis hostem contra ipsum acerbissime exardescentem iracundia, nec se ab ea die cessasse diuinum contras hostiles insidias præsidium illi implorare. Tempus docuit pertinuisse id visum ad calumniam atrocissimam, quæ non longe postea obiecta Fratri vitam fortunasque eius omnes cum adduxisset in discrimen, eadem quæ prænunciata fuerat ope est discussa. Alio tempore ad Ioannem Cotonum tertium natiuitatis ordine fratrem egregie tunc valentem, sed iuueniliter vltra vota sua exultantem, scripsit, temperaret feruidis iuuentutis motibus. Non enim satis constare, vtrum anni finem principio parem esset habiturus; ageret proinde quod iamiam moriturus egisse vellet. Nec abfuit vaticinio fides, Ioanne haud inde procul à sicario quodam misabiliter confosso. Eiusdem est generis quod aliàs de vna è sororibus suis integræ tunc valetudinis ad fratrem scripserit, non falso se augurari, eam non diu fore superstitem, & mors illius breuis sequuta fidem verbis fecit. Harum ego literarum exempla vidi, nec quisquam familiam eius nouit, qui euenta fuisse qualia dixi non certò sciat. Iam peccare me non leuiter cotra historiæ sinceram fidem arbitrarer, si exempla duo Propheticæ Cotoni gratiæ, quæ Carmelitidum Aurelianensium Præfecta cum ad ipsam pertinerent sub nomine incerto narrare maluit, annumeratis propè scribentis verbis, non facerem Latina. Audiit, inquit, aliquando Cotonus confitentem quampiam & abire parantem monuit, vt animum haberet ad tolerandum paratissimum. Imminere enim illi intrà octauum diem grauissimæ quiddam molestiæ. Proinde studeret per id tempus se ipsam frequenter diuinæ offerre voluntati, paratam animo lubentissimo admittere, quidquid illi vel statuere vel permittere visum

visum esset. Fecit illa quod erat monita, crebroque paratam se ad omnia, Deo offerens animum per eos dies ad ferendum quidquid illud esset molestiæ obfirmauit. Aderat dies octaua, & en tibi instigatione nescio cuius tam atrox, tamque verisimiliter conficta calumnia in illam adornatur & evulgatur, vt nisi Deus serui sui admonitu animum eius anteà ad tolerandum informasset, fieri non posse videretur, quin & illa se tueretur acriter & autorem calumniæ egregiè vlcisceretur. Sed dum reputabat se à Cotono ad patientiam non ad defensionem aut vindictam institutam esse, premebat videlicet animum, lubensque molestiam tolerabat, confisa veritatem nutu diuino quandoque in apertum prodituram. Postero die ab excitata calumnia facere non potuit, quin ad Cotonum iret, qui vt illam procul est contuitus, quasi totius rei iam conscius, subridere cœpit. Illa autem sanctè affirmat, id illum postquàm euenit, aliunde quàm à Deo rescire non potuisse, multò minus prædicere antequam euenisset. Nam & res eiusmodi erat, vt nulli venire in mentem posset suspicio, aut eam omninò aut ab eo vnde prodiit euenturam. Quin etiam Cotonus autorem machinationis totius nunquam in vita viderat. Ergo quæ calumniam patiebatur, cum ad illum subridentem accessisset. Non est, inquit, mihi quod rideam, quam tu prænunciasti molestiam ego nunc sentio, tu illi tolerandæ mihi subsidio eris: in te enim vno secundum Deum mihi sitæ sunt omnes opes. Respondit Cotonus, nihil illi verendum esse, quin feliciter cessura essent omnia, sedata breui hac tempestate; ferret tamen interim fortiter quod virtutis exercendæ causa Deus permisisset. Et erat verbis eius vis tanta, vt tranquillum in tempestate, serenum in nubilo, pa-

cem in bello illicò impertirentur. Factum deinceps est quod prædixerat, & in nihilum defluxit calumnia nemine allaborante. Quod vt tam citò tamque perfecte posse fieri humanitus non sperabatur; ita Cotoni precibus plane videtur tribuendum. Audi nunc aliud ab eadem & de eadem. Pendebat, inquit, aliàs magnopere animi aduersis conflictata rationibus, quæ ambiguum illi facerent, an consilium de re maxima suscipienda quod habebat in animo Deo esset placiturum. Laborem eius cum didicisset Cotonus condoluit ex animo, vocesque vrgente penitus charitate, sibi excidere est passus, quas nulla vis alia vnquam extorsisset. Cum ego, inquit, tibi ante biduum Deum precibus placare contenderem, manifestis agnoui indiciis hoc abs te Deum exposcere (certam rem significabat, quæ posteà euenit) nec obstare quidquam aut impedire debere vel posse quo minus id perficiatur. Vt dixit ita euenit; sed anno post illud tempus integro, id quod ei humanitus notum esse non poterat. Cæterùm cum quidpiam eius generis aperiret, tanto oris pudore, corporisque & animi demissione verba sua commendabat, vt veritatem sinceritatemque animi proderet ex omni parte. Et verò cum cæteros futura vel occulta enunciantes postquàm eorum vitam semel probarat, æquo facilius videretur quibusdam auscultare; tamen difficile admodum, ac nisi certissima eorum quibus loquebatur vtilitate vel necessitate, ea quæ ipse in eo genere cognorat excidere sibi est passus. Et confido equidem eiusmodi visum iri æquis lectoribus, quæ hactenus enarraui; sed quod nunc dicam est insigne. Comitem quendam suum nescio cuius culpæ coarguebat aliquando, illeque tametsi culpæ sibi conscius, defensionem tamen obtendens, aliquos

vt

vt fit accusabat quòd nomen suum immeritò ad illum detulissent: Cotonus, vt animi eius ab aliis alienationem præpediret, negauit præcise id se ab alio quàm à Deo agnouisse, & comiti qui rem quàm esset arcana prænouerat, facile persuasit. Nec dissimile est quod è Sociis eius vnus religiosissime asseuerat, errata quæpiam sua quæ cæteros omnes præter se laterent, bis sibi ab illo sine ambiguitate aut vlla obscuritate detecta.

CAPVT XV.

Mira quædam Cotoni demortui interpositione patrata.

POstrema mihi restat opera in iis rebus Cotoni enarrandis quas aut ij quibus illæ contigere, aut qui præsentes adfuere viri pietate ac fide noti pro Mirabilibus Naturæque lege superioribus habuere. Atque vt de iis tantum quæ post eius mortem contigere hic dicam, cum nonnulla eius generis in vitæ eius historia sim executus; Ludouicus Bouchart è Societate nostra triduò postquam Cotonus vita excesserat grauissimis intestinorum torminibus diuexari cœpit verítusque ne vt aliàs (erat enim iam olim torminosus) biduum forte in tam acerbo dolore, vt ad mortis limen deduci videretur, sibi esset transigendum; opem Cotoni cuius tunc virtutes ac merita in ore hominum maxime versabantur sibi censuit exposcendam. Concipit itaque breuissimam ad Deum orationem, qua meritorum Cotoni respectu acerbissimum cruciatum deprecabatur. Nec mora, detumescentibus intestinis

ſtinis ſubſidit dolor, membriſque haud multò poſt ſuaui ſomno ſolutis omnis morbi iactatio plane eſt conſopita. Hæc Aureliani; Sed quæ nunc dicam Montiuillariis in agro Rothomagenſi paucis pòſt menſibus contigere. Cum enim Virgo Religioſa de celebri oppidi illius monaſterio grauiſſimo cõflictaretur morbo, nonnihil eorum, quæ Cotono dum viueret vſui fuiſſent ab vno è noſtris efflagitauit, eiuſque ope morbo leuata has de re tota literas chirographo ſuo ſignoque vſa perſcripſit. Moleſta me, inquit, torquebat ægritudo, quæ plures iam noctes ac dies nullam ſomni partem videre pateretur, cum P. Pargonus aliquid eorum quæ R. P. Cotoni fuerant ad me attulit, quo accepto, precibuſque eius pie imploratis, ſomnus me illicò tranquillus & arctus eſt complexus. Vbi euigilaui, quod acri dolore ſtomachi adhuc tenerer, confiſa ex animo de ea virtute quam experiri iam cœperam, impoſui ſtomacho quod ex rebus Cotoni acceperam, ſedatoque extemplò dolore omni conualui. Laudes ſint grateſque Deo, ſeruoque eius piiſſimo, cuius pro me preces voueo quæſoque eſſe perpetuas. Hæc illa. Eodem prope tempore Nancæj in Lotaringia Ioanna Liouilla cum plures corpore dolores toleraret, ac mortis Santitatiſque Cotoni fama latiſſime peruageretur, doloribus ſuis opem humili precatione ab eo poſtulauit, poſtulationemque tam prompto excipi ſenſit leuamento, vt alio illud quàm ad Cotoni merita referre ſe poſſe non putet. Dixit hæc iurata viceſimo ſeptimo Martij anni conſequentis, excipiente iuramentum eius ac teſtimonium D. Simonino Doctore Theologiæ ac Protonotario Apoſtolico Sanctique Apri Nancæi Parocho. Nec diu poſteà Mathurinus Amaury ciuis Pariſienſis, cum moleſtiſſimo iactaretur hemitritæo,

mitritæo, Cotoni, cuius virtutem ac pietatem in vita frequenter probaret, opem demortui precibus demissis efflagitauit, & quem precum, eundem illicò in posterum omne tempus molestæ illius afflictionis finem habuit. Hinc optime erga illum animatus, quiddam eorum quæ Viuentis corpori vsui fuerant impense disquisiuit, nactusque panni eius particulam quo pituitam dolentium crebrò in senectute palpebrarum Cotonus terserat, filio illam suo, qui ex intestino ignotoque morbo grandi macie extabescens ad mortem ibat, de collo suspendit; nec mora cibi appetentia restituta, paucis diebus habitui corporis non tantùm bono sed etiam pingui redditum vidit. Hæc omni asseueratione ac sacramento firmata ex illius ore me frequenter accepisse cum eum consultò interrogarem sanctissimè testor. Mense subinde Augusto, qui à Cotoni morte primus fluxit, Turnoni ad Rhodanum Ægidius Lacarrius è Societate nostra adolescens, quinos iam senosue menses molesto ac prope quotidiano capitis dolore tenebatur, cui nec animi ab studiis quibus addictus fuerat, relaxatio, nec frequentes in agris inambulationes, nec alia eius generis remedia leuamento erant. Is cum die quapiam Eucharistiam religiose adoraret, perpelli se intime sensit, vt votum susciperet menstruæ Communicationis Eucharisticæ ad solitas adiiciendæ, donec annus euolueretur, ea mente vt Deo gratias referret de iis quas in Cotonum contulisset gratiis. Votum annuente præside emissum secuta est illico sanitas, nullo ne in orationes quidem ac meditationes intendenti se, capiti doloris superstite vestigio. Conceptum est id votum ad Virginis in cœlum assumptæ festum diem: & ad secundum Octobris interrogatus adolescẽs à Claudio de Sancta

cta Columba Turnonensis Collegij Rectore notæ grauitatis ac probitatis viro vt capite valeret? religiose asseuerauit, omni se illius morbi sensu carere. Qua in sanitate capitis cùm plures posteà menses perseuerasset, adeò confisi sunt de diuini beneficij constantia qui Societati illi præerant, vt adolescentem qui nouitius etiamnum fuisset, ad vota Religiosa admittere nihil morarentur. Hæc ego ex Rectoris, quem dixi, literis ad me aliosque perscriptis huc deriuaui. Iam ad idem fere tempus, Parisiis vir probus, Sacerdos Italus, cum à ciue Parisiensi arbitrante illum quidpiam rei suæ subduxisse, grauiter insimularetur, ac prope in infamiam adduceretur, auditis quibusdam Cotoni rebus gestis, venit in spem posse ipsum labori huic suo opitulari. Itaque cùm plus vno mense innocentiam suam humanis rationibus approbare frustrà prius contendisset, ad diuina hoc tempore versus præsidia, nocte quadam dum preces ante quietem Deo offerret, impelli se sensit vt votum nuncuparet pecuniæ cuiuspiam pauperibus largiendæ si Cotoni precibus aliquis eius negotij exitus sibi aperiretur. Quo statim nuncupato, lecto se dedit, atque en tibi mane antequam lecto exiret, innocentis pueruli hoc procul alio in lecto cubantis, qui laborem animi illius nec sciebat, nec per ætatem capere poterat fortuitis sermonibus edoctus quo loco ea res esset quam sibi subductam ciuis Parisiensis querebatur, & se infamia & illum iactura facile exemit. Nec dubitat nunc affirmare, vt ipse præsens audiui, id sibi post Deum solis Cotoni precibus accepto ferendum esse. Sub exitum Augusti aut initia mensis Septembris ingenuus adolescens Yuo de Boissius Namnetensis cum nonnulla eorum quæ hactenus scripsi vulgante fama

inaudisset,

inaudiſſet, ſpe ductus ſe in Cotoni meritis nonnullum ſolatium reperire poſſe moleſtorum torminum, quibus quotidie annum prope totum ita fuerat excruciatus vt febrim quandòque dolor cieret, ad aram in qua auguſtiſſimum ſeruabatur Sacramentum prouolutus, opem Cotoni ex animo implorauit, audituſque abſq; mora dolore omni diebus multis liber fuit; ſed cum ſanitatem ſibi eius ope paratam quamuis non dubitaret, profiteri tamen apud alios veritus, ne fidem non faceret, reluctante crebro ac reclamitante conſcientia moraretur, quadam die dolores illi denuo iidem incubuere, quibus ille quaſi caſtigatus ſpopondit ſe deinceps Dei beneficia non habiturum tacita, ſi Cotoni iterum patrocinio iuuaretur; & quaſi cum precibus eius certarent Cotoni ſubſidia, ſanitas ſtatim illi eſt repræſentata non minus certa quàm ſponſioni eius fides, quam vbi egregie liberauit, doloris illius vacuus fuit, annum iam prope integrum. Hæc vero omnia non ipſius tantùm ſed eorum etiam qui morbum eius ac ſanitatem præſentes agnouere integerrimis teſtimoniis mihi ſunt comperta. Sequutus eſt deinceps menſis October, cuius die quadam non ſatis comperta, vir quiſpiam apud Vocontios cum mira quædam Cotoni interuentu patrata ex noſtri hominis literis agnouiſſet, conſtituit inueteratæ febri ſuæ remedium in illius precibus quærere ſi quando reuertiſſet; quod cum breui poſteà contigiſſet, atque ille propoſiti ſiue immemor ſiue negligens quod ſtatuerat facere diſtuliſſet, tam vehementi æſtu eſt conflictatus vt extrema vehementer timeret. Quæ res illi Cotoni memoriam cum refricaſſet, votum expreſſit Euchariſtici Sacrificij Deo per Sacerdotem offerendi,

si fauens sibi ac propitius foret Cotonus. Damnatus voti, febrim in posterum non sentit. Quod ego ita vt in literis vnius è nostris qui præsens aderat legeram recitaui. Ad initium verò mensis Nouembris ipsa die Sanctis omnibus dedicata Nancæj Francisca du Bois annos nata decem & septem, vehementissimo febris æstu, somni die ac nocte expers iactabatur; quod vt mater eius Elizabetha de Ranffin animaduertit, imaginem Beatæ Virginis membranæ appictam quam à Cotono acceperat cum hac subscriptione, Ora pro P. Petro Cotono, capiti filiæ imposuit, atque ea illicò tranquillo sopita somno febris atque æstus sensu omni post somnum caruit. Sic ipsa retulit iurata coram Simonino, quem suprà dixi, Apostolico Protonotario. Ex cuius etiam tabulis eisdem fidei publice faciendæ causa, signo eius obsignatis manuque subscriptis habemus id quod subnectimus. Maria Hannotina Barensis annos fere tricenos nata, circà medium eiusdem anni Decembrem, tam acerbo capitis dolore excruciabatur, vt non tantum dies noctesque somno careret, sed etiam triduum totum commouere se aut incedere sine acerrimis capitis aculeis tormentisque non posset, febre interim ex vi doloris in reliquum corpus exæstuante. Perlata ad illam est ea quam dixi imago, Cotoni nomen subscriptum habens, & illi capitis parti quam dolor pungebat acutius imposita, momento temporis omnem mali sensum detersit. Quod ista quoque solemni iureiurando affirmauit. Hæc fere didicimus Cotoni interuentu admirabiliter patrata proximis fere nouem ab eius morte mensibus. Sed anno millesimo sexcentesimo vicesimo septimo, qui mox est initus, intra id quod supererat ad aniuersarium obitus illius

lius diem tirmestre spatium, hæc fere ad nos eius generis peruenerunt. Apud Consopitum in Britannia Armorica, grauis matrona cui filia vnica tam periculoso tenebatur morbo, vt mors momentis omnibus timeretur, ad Sacerdotem de Societate rogatum iit, vt in sacrificio Eucharistico filiæ suæ quæ animam prope tunc ageret, memor esse velle. Ille cum se id facturum recepisset, particulam interim tuniculæ qua viuens Cotonus intime vestiebatur de filiæ collo suspendendam donat, monetque vt Oratione Dominica ac Salutatione Angelica quinquies recitata, Cotoni merita ac preces à Deo imploret. Fecit matrona sedulò quod iussa erat, & astantibus honoratis hominibus non paucis, Filia eius statim vt ea quæ dixi collo excepit, conualuit. Rem totam ij qui beneficij fuere compotes chirographo suo sunt testati. Circà eadem tempora Parisiis vir Ecclesiasticus, longa assuetudine ac procliuitate naturæ impuris commotionibus conflictari ac vinci facilis, Cotoni puritate atque integritate quam didicerat persuasus, subsidium eius aduersùs imbecillitatem suam supplici precatione atque obtestatione flagitauit, adeóque præsens atque efficax obtinuit, vt multis ab ea precatione ad hanc diem mensibus euolutis, nulla de se trophæa hostem suum constituere illo protegente sit passus. Id quod ego profiteor me ab eo certissime agnouisse. Vertebat se iam annus in mensem Martium, Cotono vt per initia natalem, ita per media fatalem; cum Regina Iandina natione Lotharinga, oppido Haltonuillana, vna quasi ruina humoris pituitosi in membra omnia influentis oppressa, non tantùm partium omnium motum neruis humore dissolutis ac fluxis perdidit, sed etiam capitis inundante fluxione pressi tam acerbum sensit crucia-

 tum

tum, vt eo inter manus depoſito, ſine motu tùm imbecillitate tùm dolore defixa, biduò iacere cogeretur. Quo in ſtatu monita à quibuſdam, Nancæi vbi illam morbus inuaſerat, Imaginem eſſe Cotoni manu ac nomine ſubſcriptam, quæ aliis iam fuiſſet ſalutaris, magnopere eam expetiit; ſed cum illa ad ægrotum quempiam alium miſſa iam eſſet, interrogata num confideret ſe recipere ſanitatem poſſe, ſi altera ei Cotoni ſubſcriptio, quæ in literis ab eo olim ſcriptis ad manum eſſe imponeretur; cum reſpondiſſet ſe plane confidere, iuſſa eſt Cotoni ſubſcriptum literis nomen, ſigillumque IESV nomine inſigne oſculari. Et concidêre è veſtigio dolores corporis omnes, receptoque mox membrorum omnium motu atque vſu, lecto ſe eripuit mulier, ſolitaſque operas quanta prius facilitate exercere à multis eſt conſpecta. Hæc res ad initium contigit Martij; ſed circa diem eius ſextam Ioanna Liouilla, & circà vndecimam Franciſca du Bois cum acerrimis dolorum aculeis toto capite compungerentur, eius quam dixi imaginis contactu dolorem ex tempore ſedatum ſenſerunt. Quæ omnia Nancæi apud Simonium Protonotarium Apoſtolicum tres quas modo nominaui mulieres iureiurando teſtatæ in acta referri publica, quæ in manibus noſtris ſunt, voluere. Hactenus de primo à Cotoni funere anno.

Quo loco ſuſtinendum nobis ſtylum cenſemus, rati nos in iis quæ de illo viuente ac demortuo complexi ſcribendo ſumus, ſatis huc vſque elaboraſſe, vt & omnes homines diuinæ in illum bonitatis commendandæ ac prædicandæ argumenta plurima, & qui illi Religionis ac voti ſumus conſortes exempla habeamus ab eo illuſtriſſima indiuiduæ cum Deo omnibus in rebus coniunctionis, inexplebilis ſalutis proximorum

rum

rum ſtudij , inuincibilis rerum aduerſarum tolerantiæ, peruigilis in omni vita vel ſuſceptorum vel imperatorum operum accurationis , & conſtantis à primo in Dei obſequium aditu ad vitæ exitum cogitationum conſiliorumque omnium integritatis.

FINIS.

PROTESTATIO AVCTORIS.

CVm Sanctiss. D. N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in S. Congregatione S. R. & Vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum qui sanctitate, seu Martyrij famâ celebres è vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quaecunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarij; & quae hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quae cadunt super personam; bene tamen ea quae cadunt super mores, & opinionem; cum protestatione in principio, quod iis nulla adsit auctoritas ab Eccles. Rom. sed fides tantùm sit penes Auctorem. Huic decreto, eiusque confirmationi & declarationi, obseruantiâ & reuerentiâ quâ par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quicquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea solent, quae humanâ duntaxat auctoritate, non autem diuina Cathol. Rom. Ecclesia, aut Sanctae Sedis Apost. nituntur.



